DE VVLNERIBVS
à Bellico Fulmine illatis,
TRACTATVS
AD SERENISSIMVM
ALPHONSVM
ESTENSEM II.
Ferrariæ &c. Ducem.

AVCTORE HYPPOLITO BOSCHO
Ferrarienſi Philoſopho, ac Medico, & in almo
Ferrarienſi Gymnaſio publico Lectore,
atque Ducali Chyrurgo.



FERRARIAE,
Excudebat Victorius Baldinus, Typographus Ducalis.
M. D. XCVI.

Serenissimo Principi

ALFONSO ESTENSI II.

FERRARIAE ETC. DVCI,

Domino ac Patrono Colendiss.

HYPPOLITVS BOSCHVS eius Celsitudinis Chyrurgus P. F. O.

DELPHIS olim Dux SERENISSIME, sententiam hanc in magno Apollinis templo aureis litteris insculptam fuisse memoriæ proditum est: γνῶθι σαυτόν. *ut omnes homines animæ suæ dotes perpenderent, atque metirentur. Hanc profectò sententiam dum multum, diùque mente reuoluo, ita exiguam ingenij mei aciem esse agnosco, vt onus satis meis viribus impar mihi subire videar, cum CELSITVDINEM tuam SERENISSIMAM his studiorum meorum primitijs audeo interpellare. Verum enimuero dum CELSITVDINIS tuæ Clementissimæ humanitatem*

erga omnes perpendo, & præsertim illam, quã in patrem meum tuum primarium Chyrurgum vsus es, recolo: paucula hæc à me in quotidiana praxi obseruata circa vulnerum illorum curam, quæ pila ex fulmine bellico emissa infliguntur, Tibi Domino meo Heroi supremo, virtute, ac fortitudine præstantissimo offerre, ac dicare minime vereor. Neque sane mihi consilium est (vt plerique scribentium intentionem male interpretantur.) auram popularem carpere, aut inde lucrum aucupari: sed duo tantum assequi. primum CELSITVDINI tuæ morem gerere, quæ Imperatorum, atque magnorum Regum vestigijs innixa medicam facultatem præter cæteras disciplinas amplexatur, fouet, atque tuetur. alterum: patriæ meæ hoc genere officij quantum possum, si non quantum debeo, persoluere. Cum præclare admodum scripserit Plato, non nobis solum nos esse natos; sed ortus nostri partem patriam, partem parentes, partem amicos sibi vendicare. quin etiam placuerit stoicis, quæ in terris gignuntur, omnia ad hominum vsum nasci, homines vero hominum causa genitos esse, vt ipsi inter se alij alijs prodesse possint. Neque porro ob id repre-

hendi

hendi poſſe credo; quod Maximo Principi tam leue munus donauerim. cum antiquum fuiſſe morem ſcriptum ſit, pro thure pauperes Dijs ſuis lac offerre. Et maximus ille Artaxerſes egeni manibus fluuialem aquam illi offerrentis; quamuis munuſculum exiguum gratum tamen habuerit; quia quo exhibebatur animo maximum eſſe intellexit: Quod ſi me apud CELSITVDINEM *tuam conſequutum fuiſſe percepero, nō minimum laborum meorum præmium hinc recepiſſe ſentiam meliora in poſterum, annuente Deo, fortaſſe oblaturus. Vale.*

EPIGRAMMA

Octauiani de Alberthis artium, & Medicinæ Doctoris, ad Medicinæ studiosum.

AENEAS potuit telluris operta subire
Ex auro rami non nisi fultus ope:
Armatã flammis potuit superare chimærã
Pegaseo Hipponous non nisi nixus equo.
Tu quoque vulneribus cupias si rite mederi
Quæ Sclopetorum plumbea pila facit,
Hæc alacri lege scripta animo doctissima Boschi,
Aureus hæc ramus; Pegasus ecce tibi.

Ad Libri Auctorem aliud Eiusdem.

METRA cothurnati quid non sint nostra Poetæ?
Phœbeam cur hæc non redolentq; chelym?
Si mihi Diua foret patrio quæ nata cerebro,
Nunc Canerem laudes, Bosche diserte tuas,
At tua pertenuem cum vincat fama fragore
Musam; cedendum, iamq; silere iuuat.

PRAE-

PRAEFATIO.

DE illatorum à Bellico Fulmine Sclopeto ictuum curatione præsenti tractatu agere mihi consilium est, non quia à viris summi nominis laborem hunc & susceptum, & absolutum fuisse me lateat; sed quoniam sub climate à nostro satis diuerso degentes, ac medicinam pro indigenarum temperamento, habituque facientes, diuersa curatione instituta ab ea, quæ à nobis tradenda est huic morbo, methodi partem pro hominibus diuersarum regionum curandis intactam reliquerunt. Vt enim Galenus aliter Romæ capitis vulnera curanda sibi fuisse, quam apud Pelopem in Asia didicisset, libro de compositione medicamentorum per genera testatum reliquit: ita & nos aliter apud Italos, quam apud Germanos, aut Britannos affectum hunc curandum putamus. At quoniam ignota morbi essentia morbum nullum perfecte curare possumus. cum inter se viri de medica facultate optime meriti digladiari videantur, diuersas de proposito affectu opiniones tenentes. ob id iure merito ab his opinionibus, dissidioque exordium sumet sequens oratio nostra.

DE VVLNERIBVS A BELLICO FVLMINE ILLATIS TRACTATVS.

DE PROPOSITO AFFECTV Prima ſententia. Cap. I.

QVI de hac re ſcripſerunt omnes affectum hunc ſub continui ſolutione, tanquam ſub proprio genere reponendum eſſe conſentiunt: cuius duas includunt ſpecies, vlcus nempe, & contuſionem. in hoc vero diſſentiunt, quia aliqui ſolutæ vnitati ambuſtionem, & veneficam qualitatem ſimul aſſociatas, atque coniunctas volunt, alij id negant. Qui prioris ſunt ſectæ ambuſtionem adeſſe his argumentis probare conantur. Et in primis ſic argumentantur. Cauſa quæ quemuis globulum ad percutiendum impellit ignea eſt, ergo & quæ ex hac percuſſione vulneratio ſequitur ignea exiſtit, iuxta regulam illam, qua dicitur, effectus ſuæ cauſæ naturam ſapit, atque redolet. Secundo modo ita argumentantur. Violentus motus, ex Ariſtotelis ſententia ſecundo Cœli, & ſecundo Meteorologicorum, omnia corpora ita calfacere poteſt, vt quandoque ea inflammet, atque colliquet, vt per exemplum ſagittæ plumbeam aciem habentis apparet, dum per aerem

violento motu fertur, quod experimento liquata apparet. Eo magis igitur ob violentam attritionem carnosa, & pinguia corpora cuti subiecta facillimè incendi poterunt. at quod violenta attritio talem semper sequatur ictum, nemo est, qui negare possit; ergo rationi consonum videtur esse, quod ambustio hoc vulnerum genus comitetur. Tertio, idē per sensum probant. Sæpè namque oculis cernitur inflammationem quandam in ita vulneratis subortam vsq; ad nonam diem excrescere, post per alios nouem dies diminui, atque euanescere, quod omni phlogosi ex ambustione factæ commune est. Pro venefica qualitate astruenda & rationes adducere non desistunt. Prima quarum est. Quod ex venefica causa prodit, vt veneni naturam sapiat necesse est, at vulnus, quod vi sclopeti infligitur ob puluerem venenatū, qui tormētum istud ingreditur venenosum reddi necesse est, tale igitur vulnus veneno haud caret. esse autem qualitatem veneficam in hoc puluere, duo præcipuè declarant, Primum quorum est natura elementorum ipsius, qualia sunt, salpetre, seu salnitrum, sulphur, & carbo, quorum aliqua calida ita sunt, vt dum intenduntur ad quartum caliditatis, siccitatisq; gradum peruenire omnibus pro confesso habeatur, atque ex consequenti venena fieri. Alterum autem est, quod qui puluerem istum construunt, ne ab eius halitu venefico lædantur, os, naresque sibi occludunt. Secunda ratio est, quod istiusmodi vulnera, vt plurimum maligna admodum sequūtur symptomata, nimirum inflammatio, sphacelismus, gangrena, & similia, quæ proculdubio non nisi venenosum sequuntur affectum.

SECVNDA SENTENTIA. Cap. II.

QVI affectum hunc abſque veneno, atq; aduſtiòne eſſe volunt, multis medijs ſententiam ſuam confirmant, & pro ambuſtione abdicanda primum ſenſuum teſtimonio vtũtur. Qui enim vulneribus huiuſmodi vulnerantur nihil ſe vri aſſerunt, ſed a contuſione quadam affici dicunt. deinde ſi indumentum vel laneum, vel ſericum, vel alterius generis ab huiuſmodi ictu transfixum reſpiciatur, in ipſo nulla poterit inueniri exuſtio, ſed duntaxat deciſa apparebunt, vel lacera. Præterea ſi huius tormenti fiſtulæ, ex qua pila eiaculatur, ſtupa, aut goſſipium, aut lintea mina fuerint immiſſa, aut id genus alia, hæc poſt eiaculationem abſque vſtionis veſtigio reperiuntur, & ſœpe à chyrurgis talia corpora in vulnerum cauitate latentia incombuſta extrahuntur. quin étiam qui naues, aut murum ab iſtius bellici fulminis impetu tueri volunt, lanam, goſſipium, ſtupam, & huius generis materiam opponunt, quibus corporibus tantæ ſtragis ruinam retundunt, quod certe minime aſſequerentur ſi huius tormenti pilis ignea vis inſita eſſet; hæc nanque de facili ignita tali ictu accepto flagrarent, atque comburerentur. Additur his, quod quandoque ex accenſibili materia, vt charta, goſſipio, ſtupa, & ſulphure bellici efformentur globuli, qui cum vi ignis excutiantur (vt in publícis fieri ſolet ſpectaculis) nihil accenſi emittuntur, & ſi quẽ percuſſerint, contuſionem ſolam relinquunt: quod apertiſſimũ ſignum eſt, globulum ferreum, aut plumbeum incenſionem nullam cõtrahere poſſe, alioqui naturæ frigidioris, & minus inflammabilis, quã ſint ſupradicti globuli. Accedit & aliud, quod pilæ iſtæ metallicæ poſtquam fuerint eiaculatæ, ſi manibus pertractentur, vix tepidæ perſentiuntur. quod argu-

mento eſt nullam ab ipſis poſſe prodire ambuſtionem. Po- ſtremo ambuſtio ſanguinis profluuium in vulneribus curare conſueuit, at in vulnere ab hoc tormento illato ſanguis non compeſcitur, immo illius profluuia contingunt, idcirco nullam in ipſo vulnere vſtionem ineſſe fatendum eſt. Veneficam porro qualitatem & nullam addeſſe, ita ſuadent. Primo quia illa, ex quibus puluis tormentum hoc ingrediens conflatur, vtiliter cuti extra illiniuntur, & innoxie degluciuntur. Ob id venenata non ſunt, neque per conſequens qui ex ipſis fit puluis, venenatus eſſe poteſt, quod erat ab aduerſarijs pro fundamento ſuæ rationis aſſumptum: quis eſt autem, qui nõ nouerit (inquiunt) carbones a picatis mulieribus abſque eui denti noxa deuorari, ita & ſulphureas, nitroſaſque aquas magno cum iuuamento ad multas libras ſæpe ebibi. itidem & tetrapharmaco nitrum, ſulphur, cinereſque recipiente pror?, vetuſtamque ſcabiem deleri, ſed hunc puluerem veneno carere nos illud docere poteſt, quod vt Quercetanus inſignis medicus ſcribebat, Germani equites ab accepto tali vulnere cochlear ipſius pulueris magno cum fructu deuorare ſolent. Tandem ſœpe ſœpius, inquiunt, vulneribus prædictis nullum ſphacelum, nulla phlogoſis, nulla gangrena, neque vllum aliud malignum euenit ſymptoma, quod certiſſime probat ipſa ex ſe vulnera hæc veneno carere, & ſiqua dictorũ affectuum genera quandoque pariant, non ex ſe id præſtare, ſed ratione cachochimiæ, vel ratione plethoræ in ſubiecto corpore exiſtentis hoc euenire.

PROPRIA SENTENTIA. Cap. III.

EGo in tam ardua,ac admodum per difficili iſta diſputatione, etiam ſi eorum rationes magni momenti eſſe videantur, qui ab hiſce vulneribus ambuſtionem, & venenum ſepararunt,tamen quia ita me cogere videtur veritas,in oppoſitam deſcendo ſententiam, quod enim ad exuſtionem attinet,primo in multis horum vulnerum ambuſtio ipſa oculis aperte cernitur,deinde vſq; ad diem nonam inflammatio vlcus exercet,tandem eiuſmodi plagæ acres admodum icores,tetroſq;, ac nigros emittunt, qui vſtionem apertiſſime præſeferunt. Apparet etiam veneni præſentia primo, quia tali ictu percuſſi quodam præter rationem cordis tremore fere ſemper corripiuntur,vlceris labia liuent, & nigricant cum eſchara quadam correpta ſint, tandem ni diutius vulneris oſcula aperta relinquantur,& difficulter ſanantur tales præter naturam affectus, & illa ſæua admodum ſubſequi conſueuerunt accidẽtia. Quibus omnibus tanquam corollarium addendum venit quod alexipharmaci vſus hoc morbo affectis plurimum confert. Neque obſtant aduerſariorum argumenta,nam quo ad primum dico vulneratum ab hoc tormento actum ambuſtionis non ſentire, vel quia duobus doloribus ſimul corpus noſtrum infeſtantibus maior minorem obſcurat teſte Hippocrate ſecundo Aphoriſm. quadrageſimoſexto, vnde cum ſimul incidant contuſio,& vſtio,ſitque maior contuſionis vis, hinc fit vſtionem a contuſione obſcuratam non ſentiri, velſi perſentiatur, quia ipſa affatim non fit, ſed ſucceſſiuo quodã modo, & ſenſim, ob id contuſio perſentitur,non ambuſtio: quæ enim ſenſuum mutatio confertim non fit, neq; cum dolore,neque cum voluptate afficit animal. Quo vero ad ſecũdam,

cundam,

cundam, tertiam, quartamque rationes vnica responsione dico, nil mirum esse, neque telam, neque sericum, neque gossipium, aut stupas hoc ictu incendi, neque igne ex tormento excussa inflammari, carnem autem ambustionem concipere, namque idem sœpe in cœlestis fulminis ictu visum est, vt vagina illæsa sit, ensis vero colliquatus, sicque vinum exhaustũ appareat cado nihil perpesso. Quod accidere dicunt philosophi ex vaginæ, cadique meatuum latitudine, fulminis autem tenuitate. Sic igitur statuendum videtur, cum his ferreę, plumbeę vespilæ poris tenuissima hæc exhalatio includi possit, quæ gossipium, telas stupasque possit facillime peruadere, carnes autem secus. & fortasse huiuscemodi exhalatio, quæ nequit telas, gossipium, & cætera id genus corpora natura sua frigida incendere, si a calore naturali membrorum actuetur, aliquo temporis tractu illa comburere potest, ad intemperiem solito calidiorem, sicciorem que partes humido suo naturali fere destitutas reducendo, quod in corporibus viuentibus primum ambustionis genus est, teste Aristotele sectione prima problematum lv. Ad quintam rationem sic respondendum teneo. Quamuis pila metallica paulo post, ac fuerit emissa frigidiuscula appareat, non tollitur tamẽ, quod intra illius penitiores meatus tenuissima exhalatio non delitescat, quæ non ita cito ab ambienti aere refrigerari potest, quæ intra membra recepto globo si se se exeruerit, ambustionem gignit. Vel alio modo responderi potest, ita esse tenuem exhalationem in pilæ poris contentam, vt ocyssime possit ab ambiente refrigerari, quæ dein a membrorum natiua caliditate rursus attenuatur, atque calefit, & potens redditur vstionem facere: non enim parum iuuat agentium in nos operationem calor naturalis, vt experientia docemur in sinapismis, & vesicantibus, quæ in exanguibus admodum corporibus, atque deploratis, neque ruborem, neque vesicas inducunt, quod faciunt in multo natiuo calido abundantibus. Ad postremam respondendum est primo verum esse, quod

dinmo vt plurimum ex his vulneribus parum sanguinis effluit, vel dicimus non omnem vstionem sanguinis fluxum impedire, atque cohibere posse, sed illam tantum, quæ affatim multumque ex adusta parte adimit humiditatis, quod inducere escharam valet vltimum ambustionis gradum, at in hoc vulnere aliquando, & fere semper mala temperies calida, & sicca gignitur, quæ prima est ambustionis species. Neque argumenta aduersus veneficam qualitatem adducta maioris ponderis existunt, nam quo ad primum concedo ingredientia compositionem pulueris non esse venena, neque ita temperiem naturalem excedentia, vt talia merito iudicari possint: quamquàm in hoc non desit disputandi locus. Nego tamen consequentiam istam, quod ictus bellici huius tormenti non sit venenosus, quamuis ex dictis principijs conflatus puluis non sit venenum. existimo namque huius pulueris qualitates ita immutari, dùm accenditur; vt inde possit aliquam concipere veneni naturam: non quidem deleterij, sed potius ratione alicuius exedentis qualitatis, exitiosi ratione, qua nimium caliditate, ac siccitate polleat. qualia dicimus esse euphorbium, & thapsia, & his similia. Neque obstet aliquis dicẽdo nullam ignis actione generari rem venenosam, quinimmo eadem omnem deleri veneficam qualitatem; hoc enim verum est de venenis a tota substantia necantibus, non autem de omni venenorum genere, vt in fulminis veneno apertissime deprehenditur. Neque secundum argumentum magni est momenti, quo astruebatur multos neque sphacelo, neque cordis tremore, neque alijs sęuis affectibus post acceptum ictum corripi. nam multo plures ij sunt, qui multa grauia symptomata patiuntur tali accepto vulnere, quam qui non. Vel etiam dicere possumus, quod, cum huius veneni vis a tota substantia non dependeat, sed a qualitate tantum manifesta, iccirco opus est, vt in certa quadam dictæ exhalationis quantitate constituatur agendi potentia, quæ potest multoties adesse, secundum quod magis, & minus sclope

tum distat, vel in eo exigua adest pulueris quantitas, vel ob aliam aliquam causam; & si adsit in sufficienti quantitate exhalatio, hæc uel a membri vulnerati temperie, vel ab aliqua alia re obsistente potest expurgari. Quę pauca cum credam satis esse pro eorum rationibus confutandis, qui vna cũ vlcere, & contusione ambustionem, & venenum in hoc affectu adesse negant, finem huic capiti imponam, statuendo huiusmodi morbum continui solutionem esse contusionem cõpræhendentem, ambustionem, & veneficam immutationem.

DE SIGNIS HORVM VVLNERVM. Cap. IIII.

ANTEQVAM talium vulnerum curationem aggrediar, operæ prętium fore duxi, nonnulla de horum vulnerum signis prius præfari, præsertim cum primo aspectu contusorum vulnerum tantum naturam, atque figuram ostendant. Signa igitur, quibus talia vulnera dignosci possunt ab alijs, multa sunt, omissis tamen superfluis, hæc solum, cum necessaria sint, recensebo. Figura itaque orbicularis, vel quadrilatera est, pilæ, vel alterius quadrati corporis figuram præseferens, color cutis deprauatus, liuidus, nimirum cęruleo commixtus, quod venenum in parte læsa adesse ostendit, sensus admodum vehæmens, & grauis, ita vt percusso videatur id factum esse ab aliqua magna mole, pauca, vel minima admodum sanguinis per vulnus eruptio, quod non solum per escharam sistitur, verum, quia inter membranam carnosam, & musculos a contusione, leuis extrauenatio facta est; ob id sanguis, vel parum, vel nihil profluit, quod est signum euidentissimum hæc vulnera

esse

esse combusta, cum semper vulneribus ambustis, antea-quam bullæ procreentur, hoc accidat: insuper ita tumet pars, vt vix primo aspectu in ingressu angustum specillum ingredi possit, data semper proportione corporis ferientis. Vltimum signum, & contra ordinem corporum aliorum ferientium est, quod putentior est via exitus, quam sit illa, per quam pila ingressa est, supponendo semper ab vtraque parte partem transfossam esse.

DE AFFECTIBVS SIMVL COMPOSITIS. Cap. V.

QVIA curatiuæ intentiones omnium consensu a morbo desumendæ ueniunt, hinc a vulneris curatione, prout primus apparens morbus est, & a quo alij præter naturam affectus pendent, inchoandum esse duco. Quo in loco primo notandum circa hoc venit. Vulnus ex Celso lib.viij.cap.xxvj. illud esse appellandum, quod causam extrinsecus lædentem habet, &, quia Galenus iv.& v.methodi triplicem solutionis continui speciem tradit, primam in carne, & hanc vulnus, secundam in neruo, & hanc spasmum, tertiam in osse & hanc fracturam; de his omnibus pertractabo. & quoniam accidere potest vt caput, & thorax, & abdomen vulnerentur, ob id de vulneribus istis sermonem faciam, vna cum vlcerum speciebus. deinde quia ab his vulneribus sanguis aliquando fluit, & præsertim, vbi ossa fracta sunt, ideo de sanguinis fluxu tractatum instituam. quemadmodum, & ex accidenti de inflammatione, gangrena, sinu, fistula, erysipelate, herpete, & ultimo de ossibus vitiatis tractatum faciã,

nec non eorum fracturas ordine proponam, & quomodo omnia hæc curanda sint ex Galeno, Hippocrate, Auicena, & Celso ostendam. & ita huic capiti finis sit impositus.

CVRATIVAE INTENTIONES DEPROMVNTVR. Cap. VI.

COLLIGVNTVR itaque hoc pacto intentiones curatiuæ. omnis continui solutio sui vnionem indicat, quod per exsiccãtia, atque adstringentia assequimur, quia inter labia intercidere potest aliquod corpus, quod actionem, vnionem dictam, impediat, & præsertim in talibus vulneribus, in quibus totum membrum sit transfixum, ob id primo euellendum est, de sumpta indicatione a corpore, quod diuersam sui extractionem expostulat. Aegro igitur eo modo, quo se habebat quando vulneratus fuit, situato, primo specillo, vel candela, vel apice minimi digiti, si fieri possit, qđ insidet parti læsæ, corpus feriens inquirendum uenit. carnosam nanque cauitatem, vel articuli fundum petens, sensum visus subterfugit. qua de re cum omnia corpora præter naturam in vulneribus existentia sui extractionem indicant, ad eam quam citissime deueniendum est, dato quod & dolorem adaugere valent, & inflammationem non solum, sed tumores omnes procreare, qui facile cognoscuntur ex colore, dolore, duritie, & magnitudinis dimensione. Instrumenta itaque talia corpora extrahere valentia in multiplici sunt vsu, prout talia corpora orbicularia sunt, vel quadrilatera, vel alterius figuræ, & magnitudinis, supposito semper quod ad osculum vulneris lenis dilatatio fiat, si pars læsa id fieri patiatur, neque aliquod aliud impediat. Vnde si pars tota

tran-

transfossa non fuerit semper a parte dissecta hamulis, tenaculis, vulscelis, instrumentisque modo oblongis, modo curuis, modo acutis, modo acie quadrilateris, talia corpora extrahenda sunt, vt apud scriptores delineata ad hunc multiplicem vsum habentur. & apud medicos chirurgiam pro dignitate exercentes passim parata. Verum si in cute opposita vlceri erit facta cutis sectio, quæ contra apertio uocatur, impulsa pila per talem incisionem factam impulsorio instrumento dicto extrahetur, & si ossi infixa decidat, uel in articuli cauitate resideat, ita ut tenaculis illi præsto esse nullo pacto possimus, instrumento formam communis terebræ habente pila extrahetur, & hoc pacto pilæ, uel cuiuis corpori unionem uulneris obsidenti facile erit occurrere. hæcque pauca pro scopo assequendo dicta sint satis; ut solutioni continui uulnerationi dictæ satisfaciamus. In contusione suppurantibus utendum est, ex Hippocr. lib. de ulceribus, ubi habet, omne contusum necesse est putrefieri, & in saniem conuerti. Veneficæ qualitati ueneno aduersantibus medicamentis resistendum erit, uel ijs, quę putredinem sistunt. Ambustioni medicamenta moderate refrigerantia, & moderate calefacientia commoda sunt. postea quæ pustulas prohibent, & abstergunt, & carnem attritam simul absumunt, ex Arist. primo problematum probl. lvi. Fracturæ uero ossium cum eadem met fere intentio sit, nimirum aglutinandi, atque exsiccandi, quemadmodum in ulceribus excogitatum fuit, iccircò de hac nihil dicam ulterius: his scopis deductis; primo ad id quod magis urget, & ad id quod primo sanari potest, est dirigenda cura, alijs non neglectis, sed ei præsertim est attendendum, quòd rationem causæ obtinet. quare ab affectus magnitudine inchoandũ uenit. magnitudo autem triplex est, prima actionis est præstantia, secunda affectus essentia, tertia facultas, quæ lęsum corpus gubernat. rursus animaduertendum est

 quid

quid ante, quid poſt, quid cum quo ſanari poteſt. quibus omnibus optimè perſpectis ad veneni extractionem deueniendum fore arbitror, cum ab illo veneno alij præter naturam affectus in dies maiores reddi poſſint, & pars in ſphacellum verti, a quo poſtea ſuborto vitales facultates labefactari magis poterunt, quam a ſolo veneno in vlcere impreſſo. vnde niſi veneno occurramus primum, curationem perfecte aggredi minime poſſumus. Et quia alij affectus ſui amotionem indicant, ob id ſimul & ſemel mixtis intentionibus vti debebimus. Quoniam autem dolor ſymptoma eſt, quod illis ſemper aſſociatur, & tale eſt, quod ſæpe ſepius totam ad ſe curationem trahit, propterea ſi potis eſt, tollendus dolor, & illi occurrendum. Omitto alia ſymptomata, quæ talia concomitantur vulnera, & proculdubio illa venenata eſſe oſtendunt, vt mens ægri ſtupida, ſudor frigidus totum corpus inuadens, ſyncope, ora vulneris refrigerata, & infuſcata, nigræque fuliginis per vulneris excretio. quoniam ueneno amoto, & talia ſymptomata amouebuntur.

DE PROGNOSTICO. Cap. VII.

PRIVSQVAM horum vulnerum curam perſequar, conſonum rationi mihi videtur de modo prædicendi in talibus vulneribus aliqua præfari. Scopis nanque curatiuis ſelectis, antequam ad vſum vocetur, prius videndum eſt, an id cõſequi nos poſſimus. Vulnera itaque hæc non alienam ab alijs prædicendi rationem habent, vt ſi ſint magna, & partem aliquam principem obſideant, & a diuturnitate temporis malum aliquem habitum contraxerint, male de his prædicendum eſt, quẽ-

admodum bene dijudicandum si secus se habeant. semper tamen difficilis pronuntiandus horum vulnerum euentus est, tum quia multi simul complicantur affectus contrariam curationem exposcentes, tum quia semper venenoso halitu sunt infecta, quod uenenum in principio a naturali ualido calore reprimi posse videtur, ipso vero debili reddito reuiuiscit, atque reuertitur, quemadmodum multoties in his casibus experientia nos docuit. & de præsagio hæc sint satis.

DE HORVM VVLNERVM CVRA. Cap. VIII.

AGORESIVS vulnerum suppositorum curam, primo parte quauis lesa, transfossa, vel non transfossa, accipiet oui album, cũ vitello optime concussum, illudque oleo sambucino commixtum, dein portiunculã boli orientalis, vna cum sanguine draconis assumpta, simulque mixta, omnibusque agitatis, placentulam ex stupa linea, uel canabina optime carpinata ef formet. tentaque, vel tentæ, ex tali materia conficiantur, quæ tali linimento illiniantur, & ita prima facie uulneri apponantur. Ex hoc nanque medicamento, quod singulas intentiones curatiuas assequuti simus, arbitror. ex bolo etenim orientali ueneno occurretur, oleo sambucino igneæ ui obsistetur, oui uitello dolor sedabitur, albumine oui, & sanguine draconis sanguinea fluxio, & calida, a qua dolor excitari, ut plurimum solet, intercipietur; & si sanguinis fluxus expectetur hoc medendi modo huic occurretur. Si uero multa ueneni copia in uulnere appareat, uel quod multa cacochimia corpus scateat, ita ut pars a naturali suo statu recedere videatur, tota caro liuescens scalpello

lo nouacula dicto amouenda est, dummodo id fieri patiantur circumiacentia vasa. quod cum fieri non possit, cucurbitula multa flamma accensa supra vulnus apprime apponenda erit, leuibusque scarificationibus inficienda cutis; & iterum apponenda, vt ab illius appositione, venenum extrahatur. sed si tale venenosum vulnus, vt fieri talia vulnera aliquando consueuerunt, gangrenam minetur, ad topica medicamenta caustica statim deueniendum, quorum sylua apud omnes medicos passim habetur. & si hęc parum proficere videantur, ad ignita ferramenta transeũdum est, Hippocratis dogmate seruato, vbi imperat igne vtendum esse, quando medicamenta, & ferrum parum, aut nihil profecisse visa sint. deindę quia parti dolenti, atque debiliori ob vulnus redditæ, nec non etiam calidæ, natura copia sanguinis occurrit, vt ei opem ferat, eapropter ut huic succorum fluxioni obuiemus, cum ratione sui magnus sit morbus, & cum adsit dolor, qui admodum graue symptoma est, ex Galeno lib. de curandi ratione per sanguinis missionem, uena secunda venit, & in opposito latere tundenda, vel in remoto, & longinquo, ut reuulsionem sanguinis moliamur, hicque non in multa quantitate, ut, si fieri necessitas cogat, ab eodem latere læsæ partis mitti possit, ad hoc vt euacuatio sanguinis sequatur habita semper ratione ad virium robur, ad ætatem nec non ad copiam sanguinis per uulnus effluxam, si adfuerit. Verum obstare posset aliquis contra ea, quæ dicta sunt circa sanguinis euacuationem, cum a nobis fuerit suppositum uenenata hæc vulnera esse, constat etenim in uenenatis uulneribus non ita tuto sanguinem mitti posse. Huic itaque obiectioni ita respondeo, quod cum dicatur in uenenatis uulneribus non esse secandam uenam, intelligi id debet de ueneno a tota substãtia, & non de halitu uenenoso, nam uenenum a tota substantia citissime repit ad cor. halituosum uero hoc uenenum

non

non ita cito cor inuadit, hacque de causa in sanguinis missione non tantum imminet periculum. Præterea si cucurbitula vbi dubitatur magis de actuali ueneno apposita affectæ parti valet uenenum extrahere, ergo sanguis mittendus. quinimo dico debere omnino mitti propter affluxum prauorum succorum ad partem læsam, a quibus pars inflãmatione correpta aliquando in gangrenam, & sphacellum trahi potest. quare cum alijs credo sanguinem tuto mitti posse. Adnotare vero placet, quamuis hæc omnia corpus interne respicientia per accidens à me dicta sint, quod ante sanguinis missionem opus est ægrum, uel clystere, uel minoratiuo medicamento, soluente dicto, uti. His peractis, ue pars duntaxat ab omni fluxione libera permaneat, quoad fieri possit, defensiuo proprie dicto medicamento locus affectus muniendus est circum circa. hocq; dico quia non semper potest membrum læsum circumuolui; cuius appositionis notæ hæ erunt, quod non immediate supra uulnus applicetur; alterum quod ubi uasa exterius patentiora sunt, atque sub cute apparent, ibi apponatur. quod si hæc duo minime assequi possimus, per quattuor digitorum spatium ab articulatione qua distans est apponendum. notandum etiam uolo, quod defensiuorum magna est sylua, prout diuersa est regio, anni tempus diuersum, diuersaq; ægrotantis, ætas, atque natura, nec non etiam affectarum partiũ situs, eius tamen quo frequentius utor inscriptionem tradam: & est.

Rec. Boli arm. orient. } an. drac. 1.
Sangu. drac }
Pulu. myrtilorum }
Balaustiorum } drac. 5.
Gallæ immaturæ }
Ol. rosi }
Myrthini } drac. 1. 5.

Aceti

Aceti acerrimi quantum sit satis.

Ceræ albæ drac. 2.

Mis. & form. defensiuum ad vnguenti solidioris formam.

Circa tale medicamētum opponi potest, quod olea ista quamuis refrigerare habeant, atq; adstringere, tamen oleo ginositate sua partem magis laxare possent, cum calefacta sint, simulque vasa cuti subiecta, unde vel penitus dimittēda olea, vel eorum vice oui albumen assumendum, vel succi herbarum refrigerantium, & adstringentium, ad hoc respondeo, quod hieme defensiuo cum oleis parato, & in corporibus mollioribus utendum. æstate uero, & ubi corpora sunt dura; succis vtendum. ut sunt succus plantaginis, sempervuiuę, solatri, & id genus similibus, oui albumini commixtis, absque vlla oleorum permixtione. Quo defensiuo vtor etiam vbi a vulnere quopiam adsit timor alicuius sanguinis profluuij, vel vbi magna adsit ad vlcus fluxio, succi namque isti cum oui albo maxime adhærent affectæ parti, & vi sua adstringenti, magis quam olea, vlceri prosunt. quē admodum refrigerando maiorem repercutiendi vim habent. Attamen vnum tantum circa primum medicamentum adnotare libet, quod medicus illo vtens sæpe permutare debet, propterea quod olea, vt dictum est, calefacta attrahunt potius, quam refrigerent. Non desunt præterea alia defensiua, quæ, cum minime artificiosa sint, examine non indigent, qualia sunt, posca, decoctum balaustiorum, hyppocistidis, mirtilorum, gallæ; immaturæ, omphacium, & demum succus malorum punicorum acidorum, quibus omnibus puris, & non prauis succis relatis linteola madefaciendo, & parti, vt dictum est, adaptando tuto vtimur. Postea vero antequam vlcus curādum aggrediamur, prius victus ratio (dieta dicta) examinanda se offert, quæ tanti est momēti, vt ab Hippocrate semper plurimi facta fuerit,

tam

tam in omnibus morbis,quam in vlceribus ipſis,quemadmodum in lib.de vlceribus patet,vbi inquit,aquam potare, & parum comedere, quam maxime confert. Neque tacebo,ſanguinis miſſionem,atque aliorum medicamentorum vſum abſque diæta parum facere poſſe.Si enim quã titas,& qualitas ſuccorum prauorum ſanguinis miſſione, & pharmaco demitur, prauo victus regimine adaugetur, & quantitas multitudine, & qualitas malorum ciborũ qualitate progignitur; Neque inflammatio cohiberi abſque diæta poteſt,vt ex Galeno quarto Methodi. & Celſo lib.v. cap.xxvj, vbi in inflammatione euitanda victus rationem optimam tanquam ſcopum habent. Neque dicere obſtat, victus rationem diætam dictam inflammationi cohercendæ, atque intercipiẽdæ parum aut nihil facere poſſe,quia neque vi reuulſoria reuellit,neque fluentes ſuccos ad affectam partem euacuat: ad hoc enim ita reſpondere poſſumus. non poſſe negari victus rationem diætam dictam neque reuellere quod influit,neque euacuare per ſe humores poſſe. Attamen ſi conſideremus diætam paucam quantitatem ſanguinis gignere aptam natam eſſe,iure merito inflammationi occurſuram eſſe credetur,& fluxioni quorũcunque ſe interponere, vnuſquiſque per ſe exiſtimabit. Reddit nanque naturam ad pugnandum validiorem contra prauos ſuccos, cum non habeat multum diſtrahi circa ciborum concoctionem. Quare cum facilius ſit, & commodius hoſtem extra mœnia retinere,quam ingreſſum expellere,ita quoque multum confert cibandi ratio. quæ cũ in quali,& quanto conſiſtere debeat,atque in ſubſtantia, propterea propinandus eſt ægro noſtro cibus tenuis, & paucus,ſecundo loco frigidus, tertio adſtringenti qualitate præditus, neque mirum eſſe debet,ſi talis cibandi ratio medicamentoſa videatur, cum hoc pacto præſcribatur, vt ſuis qualitatibus occurrat morbificis affectibus, tenuis etenim

enim est, ac paucus, ne natura a suo munere auertatur. Frigidus, vt inflammationi occurrere valeat, adstringens, vt fluxionem intercipiat, natura nanque cum copiosa succorum (vt dictum est) affectæ parti seruandæ semper occurrat, si partes tam internæ, quam externæ a diæta paucam quantitatem sanguinis procreante exinanitę sint pro se ipsis id, quo egent, retinebunt, & ita ad affectam partem non trãsmittent. Extat quoque Hippoc. auctoritas lib. de vlceribus vbi multifaciens diætam illam magis recentibus conuenire autumat vlceribus, quam vetustis; hocque eo facere videtur, quod fluxioni obsistat cum recentia vulnera fluxione magis tententur, quam inueterata. Vnde vulneratos fame affligi vult. & in eodem lib. abstinentiam, & aquæ potum vbi inflammatio accesserit, aut impendeat prodesse tenet. Celsus vero lib. v. cap. xxvi. distinctius loquens dicebat, vbi aliquis graue vulnus acceperit a cibo tantum se abstinere debet, quantum uires patiantur, vel ita tenuẽ, & exiguum sumere, vt duntaxat sustineatur. Ex quibus dicendi modis colligo; cibum exhibendum esse intentione desumpta modo ab ægri temperamento facile inędiam ferentis, tum a consuetudine, quæ cibandi rationem tenuem, & parcam minime pati queat. Neque omni tempore omnimodam, & admodum parcam inædiam credo impensandam. æger itaque noster carnibus, & vino abstinebit, ciboque vulneribus congruenti vtetur. Sicuti erit contritus panis in expręssione seminum peponum cum saccharo, pira, cidoniaque, erunt & optima poma costa. Pro potu autem concocta aqua cum saccharo, aut acidorum granatorum vinum probatur. quia vero semper adest medicus, qui hæc magis exequetur, quam nos nunc ordine præponimus, hac formula diætandi tradita, cibationem per tempora morbi imperandam illi remittimus. & capiti huic, vbi de sanguinis missione, de cibandi modo, & de

medi-

medicamentis primo occurſu apponendis agitur, finem imponemus, totius corporis purgationem breuiter tractaturi.

DE PVRGANDI RATIONE.
Cap. IX.

CVM medicina ad fugandos, depellendoſque morbos chirurgia, diæta, & pharmacia vtatur, hactenuſq; de chirurgia, & diæta pertractauerimus, nunc de pharmacia, purgatione ſcilicet, eſt ſermo habendus. Habita itaque ſemper ratione euacuandi ad ægri temperamentum, & ad vires, quæ, ſi id fieri poſſit, oſtendent, nec non etiam ad anni tempus, an hyemale ſit, an æſtiuum, a quibus pharmacorum indicatio deſumenda veniet, vt inceptum opus abſoluam (currenti vt fertur calamo) breuem, atque accommodatam æſtiuo tempori aſſumendorum ſyruporum formam tradam, ægro iuuene exiſtente, atque temperatura calida. Hocque facio vt ordine quodam incedam.

Rec. ſyr. de ſucco boraginis
de ſucco cichoreæ.
vel vice illorum.
Rec. ſy de ſucco acetoſæ
de ſucco portulacæ } an. onc. j.

Aquarum lactucæ
boraginis
vel illarum vice.
Rec. Endiuiæ
Acetoſæ. } an. onc. ij.

Miſce pro ſy. & clarifica.

Dosis adaugeri,& minui potest,pro ut magis ægri sensus calidus erit,& maiori potione oblectabitur, vel si tempus summum sit æstus, deinde syrupis quinque assumptis plus minusue, vt dictum est, stantibus omnibus prædictis intentionibus,tale propinabitur pharmacum.

Rec.Rhabarbari electi pull.drac.j.ſ.

Cum decoctione florum & fruct.q.s. f. p.

Vel si magis placeret,propinabitur bolus cassiæ cum tamarindis; si vero frigidum sit cœlum,& æger frigida sit tẽperie,neque febriat talium syruporum erit vsus.

Rec.sy.de betonica
de mentha
vel eorum vice
Capill. veneris
de citrach. } an. onc. j.

Aquarum betonicæ
de absinthio
vel earum vice
Capill.veneris
de saluia. } an. onc. ij.

Misce,& clarifica pro syrup. & sic pro quinque, quibus assumptis præbeatur tale pharmacum.

Rec. Elect. de succo rosarum drac.ij.
syr.rosati solutiui onc.iij.

Misce,& cum aqua cichoreæ q.s.f.p.

vel. Rec.confect.senæ drac.vj.

vel maior sit dosis,prout videbitur medico phisico præsenti,cui in hoc negotio purgationis libenter defero. Interdiu tamen,mane scilicet ante prandium,& in vesperis ante cænam ellectuarij inscripti cochlear vnum assumat, cuius uis malignitatem veneficam respicit.

Rec.

Rec. facchari rofati } an. onc. ij.
boraginati
pulueris terræ figillatæ } an. drac. j.
boli armeni orient.
cornu cerui pręparati } an. fcrup. ij.
Margaritarū præparatarū
Mifce & cum fyrupo de acetofitate citri, quantum fufficit, formetur electuarium.

CVRA HORVM VVLNERVM *prima die transacta traditur.* Cap. X.

PRIMA die tranfacta, & his, vt fupra dictū eft, conftitutis, ad amouēdam ftupam medicus acceffurus aliud medicamenti genus paratum habere debet, quod omnibus propofitis intentionibus fatisfacere valeat. Et primo vlcus ipfum in duas præcipuas, atque genericas partes diuidendum venit, ficuti & medicamentum; altera quarum labia refpiciet, altera fundum, & circumiacentes partes. Hinc duplex medendi vlceri intentio oritur, vna quæ ad labia, altera quæ ad fundū dirigitur. & quia aliquando fundum patentius altera parte eft, ita vt cogamur modo placentulis, modo tentis vti, primo infcripto medicamine tentæ illinientur, alterum fupra petiam extenfum labijs apponetur. primum tale erit.

Rec. butyri recentis } an. onc. iij.
pinguedinis fuillæ liquefactæ
ol. rofati } an. onc. ij.
fambucini

Vitelli

Vitelli ouorum nu.iiij.
Theriacæ el.ʒ.ij.
Boli orient.ʒ.i.ſ.

Miſce,& cum terebinthinæ claræ optimè lotæ onc.ij. paretur digeſtiuum ſecundum artem,quo vtemur, vbi car noſæ partes tantum læſæ ſint, & vſque ad nonam tranſactam, quo tempore tota ignea vis extincta eſt. At quoniam dolor,triſtis admodum ſenſatio,& ſymptoma vehemens accidit,quod oriri ſolet(læſis partibus neruoſis)propterea omnibus derelictis intentionibus, illi opem ferre cogimur,cum vires proſternat,ægrotantes ſimul lædat,aſſidenteſque & partes in conuulſionem trahat,& multa alia mala procreando ægrum necet. Sicque ſupra petiam tale extendetur medicamentum.

Rec.vng.tetrapharmaci dicti } an. onc. j.
Raſini
de tutia } an.onc.j.ſ.
de calce
Roſati
Populeonis
Albi camphorati

Miſce diligenter ſimul.

Hocque medicamento ad extra appoſito dolori pro nūc erit occurſum,& alijs præter naturam affectibus vlceri cōmixtis. intus vero ſuperiori medicamento addetur oleum de terebinthina, de raſa, de abiete, per ellambicum extractum,vel accipiatur ol. ſcorpionum vetus.

vel Rec.ol.ex vitellis ouorum } an.drac.j.v.
ol.Hypericonis
Butyri recentis

Miſce & conficiatur linimentum molle.

Vſum

Vsum quoque cataplasmatis alicuius laudo, vt dolor tollatur, vel amolliatur, a Galeno doctus iij. de compositione medicamentorum per genera, qui in doloroso neruorũ vulnere, cum videret medicamentum siccans non proficere, quia saniem non euocabat, dogma Hippoc. sequutus in lib. de vlceribus, vbi inquit, si uis dolorem sedare, cito supura, mutato consilio ad emplastri vsum optimo cum successu se conuertit. quare vsum emplastri ex Altheæ radicibus coctis cum butyro atque hordeacea farina paratis laudo, nec non etiam ex vsu in similibus affectibus est mihi. Summe etiam confert olei communis tepidi membro affecto longa perfusio, dummodo vlcus non tangat, ol. etiam rosati completi tepentis embrochationem super affectum mẽbrum factam commendamus. Emunctorijs quoque affecti membri, vt erunt axilla, vel inguen, talis inunctio calida conferre videtur, & est.

Rec. ol. Hypericonis
de terrestribus lumbricis } an. onc. ij.
Camomillini
Liliorum alborum
Costini
Vulpini } an. onc. j.
Irini
Castorei recentis ʒ. ij.

Misce, & cum cerá fiat linimentum molle, quo tepido bis & ter inungantur. Emunctorijs dictis postea lana succida dicta, vel molle œsipum supra paruum linteum apponatur. Aetius magnæ auctoritatis vir vult Anethum, & mentam in oleo coqui, deinde in vulneribus neruorum instillari. Rasis vero xii. sui continentis ol. lumbricinũ per se tantum laudat. Auicenna balsamum commendat, quo

cum

cum nunc careamus, extracto ex myrrha, quod extractum myrrhæ vocant vtimur. Verumtamen unum adnotare volo, quod ſemper medicus doloris cauſam reſpicere debet, vt illam cognoſcat, quæ cauſa cognita, atque optime perſpecta tollenda eſt, non reſpiciendo tempus morbi, neque ætatem, neque alia. Propterea quod dolor ynum eſt ſymptoma, ægrum in omni ſtatu crucians, atque omni tempore, & omni ætate. Hoc tamen verum eſt, quod conuulſiones hyeme magis procreantur, quam æſtate, & in ſenibus potius oriuntur quam in iuuenili ætate conſtitutis. Hæcque pauca de dolore ſedando, pro nunc ſufficiant, atque de vlcere vſque ad nonam diem curando.

DE VLCERIS CVRATIONE transacta nona. Cap. XI.

VVLNERE, vſquequo eſchara deciderit, hoc pacto curato, cum alio modo tempus præſcribi non poſſit ob diuerſam ægrorũ naturam, ætatem, atque affectarum partium ſedem, & anni tempus, vlcus examinandum diligenter a medico venit; vlcus dico, quia a materia purulenta, quæ excernitur, vulnus in vlcus degenerauit, & primo animaduertendum venit, an vlcus iſtud ſordidum ſit, necne; an cauum, an lenę, & illo ad has ſpecies accommodato; vlceris cura inchoãda eſt, ſuperioribus intentionibus amotis, & ſi ſordidum ſit quod ſtatim his vlceribus accidere ſolet ob lenientium medicamentorum vſum, tunc abſtergentibus vtendum cenſeo. Si caum ocarne replendum, ſi lene cicatricandum, ſemper intenutine curatiua deducta a contrario affectu. Abſtergendum

gendum

gendum itaque erit ablutionibus, atque medicamentis id facere aptis, natisque, vt erit ablutio ex aqua hordei melle rosaceo simplici commixta, & alijs similibus medicamentis vlcera abstergere valentibus, consilio semper directo ad maiorem, minoremque sorditiem, qua vlcus polleat, secundum quam maiora, minoraque medicamenta exigit. Ad cauum vlcus curandum carne illud replendo, cum abstergentibus vtamur, de illo nunc nihil dicam, tollenda nanque de medio sunt impedimenta, vt sordes, & similia, ad hoc vt caro in cauo vlcere regenerari possit, hæcque topica, & localia medicamenta dicuntur. quo vero ad illa, quæ internam causam respiciunt, vt purgationes, & victus regimen optimum, de his cum satis abunde sit pertractatum, vnum hoc adnotare placebit. Quod cibus in tali casu assumendus crassior, & copiosior esse debet, ex Hippoc. doctrina lib. de vlceribus, vbi vult pro inædia intelligendũ esse paucum, & tenuem cibum, & magis recentibus conuenire vlceribus, quam inueteratis, hisque præcipue vlceribus, in quibus caro regeneranda venit, quia si caro regeneranda est, a sanguine copioso regenerari debet, & si optima a sanguine optimo, secundum deperditæ carnis exigẽtiam, quemadmodum inflammatio si arceri debet, a cibis paucis, qui paucam sanguinis copiam gignant, cohibetur. Et cum duo excrementa vlceribus propria semper sint, & illis fere communia, atque familiaria, quæ primos scopos vlcera curandi ostendunt, vnum tenue, alterum vero crassum, iccirco exsiccandum est cum abstersione, quæ duæ actiones vtique a medico peraguntur ope medicamentorum id efficientium, & quamuis caro absque alicuius adminiculo regenerari possit, nihilo tamen minus optima dici non meretur, quia alba, & humida est. Aliud quoque adnotandum venit, quod scire non sufficit exsiccandum, & abstergendum fore, vtrum quantum etiam exsiccan-

quid ante, quid post, quid cum quo sanari potest. quibus omnibus optimè perspectis ad veneni extractionem deuo-niendum fore arbitror, cum ab illo veneno alij præternatu ram affectus in dies maiores reddi possint, & pars in sphacellum verti, a quo postea suborto vitales facultates labefactari magis poterunt, quam a solo veneno in vlcere impresso. vnde nisi veneno occurramus primum, curationem perfecte aggredi minime possumus. Et quia alij affectus sui amotionem indicant, ob id simul & semel mixtis intentionibus vti debebimus. Quoniam autem dolor symptoma est, quod illis semper associatur, & tale est, quod sæpe sępius totam ad se curationem trahit, propterea si potis est, tollendus dolor, & illi occurrendum. Omitto alia symptomata, quæ talia concomitantur vulnera, & procul dubio illa venenata esse ostendunt, vt mens ægri stupida, sudor frigidus totum corpus inuadens, syncope, ora vulneris refrigerata, & infuscata, nigræque fuliginis per vulnus excretio. quoniam ueneno amoto, & talia symptomata amouebuntur.

DE PROGNOSTICO. Cap. VII.

PRIUSQUAM horum vulnerum curam per sequar, consonum rationi mihi videtur de modo prædicendi in talibus vulneribus aliqua præfari. Scopis nanque curatiuis selectis, antequam ad vsum vocetur, prius videndum est, an id cōsequi nos possimus. Vulnera itaque hæc non alienam ab alijs prædicendi rationem habent, vt si sint magna, & partem aliquam principem obsideant, & a diuturnitate temporis malum aliquem habitum contraxerint, male de his prædicendum est, quē-

admodum bene dijudicandum ſi ſecus ſe habeant. ſemper tamen difficilis pronuntiandus horum vulnerum euentus eſt, tum quia multi ſimul complicantur affectus contrariam curationem expoſcentes, tum quia ſemper venenoſo halitu ſunt infecta, quod uenenum in principio a naturali ualido calore reprimi poſſe videtur, ipſo vero debili reddito reuiuiſcit, atque reuertitur, quemadmodum multoties in his caſibus experientia nos docuit. & de præſagio hæc ſint ſatis.

DE HORVM VVLNERVM CVRA. Cap. VIII.

AGGRESSVRVS vulnerum ſuppoſitorum curam, primo parte quauis læſa, transfoſſa, vel non transfoſſa, accipiet oui album, cũ vitello optime concuſſum, illudque oleo ſambucino commixtum, dein portiunculã boli orientalis, vna cum ſanguine draconis aſſumpta, ſimulque mixta, omnibuſque agitatis, placentulam ex ſtupa linea, uel canabina optime carpinata efformet. tentaque, vel tentæ, ex tali materia conficiantur, quæ tali linimento illiniantur, & ita prima facie uulneri apponantur. Ex hoc nanque medicamento, quod ſingulas intentiones curatiuas aſſequuti ſimus, arbitror. ex bolo etenim orientali ueneno occurretur, oleo ſambucino igneæ ui obſiſtetur, oui uitello dolor ſedabitur, albumine oui, & ſanguine draconis ſanguinea fluxio, & calida, a qua dolor excitari, ut plurimum ſolet, intercipietur; & ſi ſanguinis fluxus expectetur hoc medendi modo huic occurretur. Si uero multa ueneni copia in uulnere appareat, uel quod multa cacochimia corpus ſcateat, ita ut pars a naturali ſuo ſtatu recedere videatur, tota caro liueſcens ſcalpel-

lo nouacula dicto amouenda est, dummodo id fieri patian-
tur circumiacentia vasa: quod cum fieri non possit, cucur-
bitula multa flamma accensa supra vulnus apprime appo
nenda erit, leuibusque scarificationibus inficienda cutis;
& iterum apponenda, vt ab illius appositione, venenum
extrahatur. sed si tale venenosum vulnus, vt fieri talia vul
nera aliquando consueuerunt, gangrenam minetur, ad to-
pica medicamenta caustica statim deueniendum, quorum
sylua apud omnes medicos passim habetur. & si hęc parum
proficere videantur, ad ignita ferramenta transeũdum est,
Hippocratis dogmate seruato, vbi imperat igne vtendum
esse, quando medicamenta, & ferrum parum, aut nihil pro-
fecisse visa sint. deindę quia parti dolenti, atque debiliori
ob vulnus redditæ, nec non etiam calidæ, natura copia san
guinis occurrit, vt ei opem ferat, eapropter ut huic succo-
rum fluxioni obuiemus, cum ratione sui magnus sit mor-
bus, & cum adsit dolor, qui admodum graue symptoma
est, ex Galeno lib. de curandi ratione per sanguinis missio-
nem, uena secunda venit, & in opposito latere tundenda,
vel in remoto, & longinquo, ut reuulsionem sanguinis mo-
liamur, hicque non in multa quantitate, ut, si fieri necessi-
tas cogat, ab eodem latere læsæ partis mitti possit, ad hoc
vt euacuatio sanguinis sequatur habita semper ratione ad
virium robur, ad ætatem nec non ad copiam sanguinis per
uulnus effluxam, si adfuerit. Verum obstare posset aliquis
contra ea, quæ dicta sunt circa sanguinis euacuationem,
cum a nobis fuerit suppositum uenenata hæc vulnera esse,
constat etenim in uenenatis uulneribus non ita tuto san-
guinem mitti posse. Huic itaque obiectioni ita respondeo,
quod cum dicatur in uenenatis uulneribus non esse secan-
dam uenam, intelligi id debet de ueneno a tota substãtia,
& non de halitu uenenoso, nam uenenum a tota substan-
tia citissime repit ad cor. halituosum uero hoc uenenum

non

non ita cito cor inuadit, hacq; de cauſa in ſanguinis miſſione non tantum imminet periculum. Præterea ſi cucurbitulæ ubi dubitatur magis de actuali ueneno apposita affectæ parti valet uenenum extrahere, ergo ſanguis mittendus. quinimo dico debere omnino mitti propter affluxum prauorum ſuccorum ad partem læſam, a quibus pars inflãmatione concepta aliquando in gangrenam, & ſphacellum trahi poteſt, quare cum aliis credo ſanguinem tuto mitti poſſe. Adnotare vero placet, quamuis hæc omnia corpus interius reſpicientia per accidens à me dicta ſint, quod ante ſanguinis miſſionem opus eſt ægrum, uel clyſtere, uel minoratiuo medicamento, ſoluente dicto, uti. His peractis, ut pars dictæ ab omni fluxione libera permaneat, quoad fieri poſſit, defenſiuo proprie dicto medicamento locus affectus muniendus eſt circum circa. hocq; dico quia non ſemper poteſt membrum læſum circumuolui: cuius appoſitionis nota hæ erunt, quod non immediate ſupra uulnus applicetur, alterum quod ubi uaſa exterius patentiora ſunt, atque ſub cute apparent, ibi apponatur. quod ſi hæc duo minime aſſequi poſſimus, per quattuor digitorum ſpatium ab articulatione qua diſtans eſt apponendum. notandum etiam uolo, quod defenſiuorum magna eſt ſylua, prout diuerſa eſt regio, anni tempus diuerſum, diuerſaq; ægrotantis, ætas, atque natura, nec non etiam affectarum partiũ ſitus, eius tamen quo frequentius utor inſcriptionem tradam: & eſt.

Rec. Boli arm. orient. }
Sangu. drac. } añ. drac. 1.
Pulu. myrtillorum }
Balauſtiorum } drac. 5.
Gallæ immaturæ }
Ol. roſ. }
Myrthini } drac. 1. 5.

Aceti

Aceti acerrimi quantum sit satis.

Ceræ albæ drac. ȝ.

Misc. & form. defensiuum ad vnguenti solidioris formam.

Circa tale medicametum opponi potest, quod olea ista quamuis refrigerare habeant, atq; adstringere, tamen oleoginositate sua partem magis laxare possent, cum calefacta sint, simulque vasa cuti subiecta, unde vel penitus dimittēda olea, vel eorum vice oui albumen assumendum, vel succi herbarum refrigerantium, & adstringentium, ad hoc respondeo, quod hieme defensiuo cum oleis parato, & in corporibus mollioribus utendum. æstate uero, & ubi corpora sunt dura; succis vtendum. ut sunt succus plantaginis, semperuiuę, solatri, & id genus similibus, oui albumini commixtis, absque vlla oleorum permixtione. Quo defensiuo vtor etiam vbi a vulnere quopiam adsit timor alicuius sanguinis profluuij, vel vbi magna adsit ad vlcus fluxio, succi namque isti cum oui albo maxime adhærent affectæ parti, & vi sua adstringenti, magis quam olea, vlceri prosunt. quēadmodum refrigerando maiorem repercutiendi vim habent. Attamen vnum tantum circa primum medicamentum adnotare libet, quod medicus illo vtens sæpe permutare debet, propterea quod olea, vt dictum est, calefacta attrahunt potius, quam refrigerent. Non desunt præterea alia defensiua, quæ, cum minime artificiosa sint, examine non indigent, qualia sunt, posca, decoctum balaustiorum, hyppocistidis, mirtilorum, gallæ immaturæ, omphacium, & demum succus malorum punicorum acidorum, quibus omnibus puris, & non prauis succis relatis linteola madefaciendo, & parti, vt dictum est, adaptando tuto vtimur. Postea vero antequam vlcus curādum aggrediamur, prius victus ratio (dieta dicta) examinanda se offert, quæ tanti est momēti, vt ab Hippocrate semper plurimi facta fuerit,

tam

tam in omnibus morbis,quam in vlceribus ipsis,quemadmodum in lib.de vlceribus patet,vbi inquit,aquam potare, & parum comedere, quam maxime confert. Neque tacebo,sanguinis missionem,atque aliorum medicamentorum vsum absque diæta parum facere posse.Si enim quātitas,&qualitas succorum prauorum sanguinis missione, & pharmaco demitur, prauo victus regimine adaugetur, & quantitas multitudine, & qualitas malorum ciborū qualitate progignitur; Neque inflammatio cohiberi absque diæta potest,vt ex Galeno quarto Methodi. & Celso lib.v. cap.xxvj, vbi in inflammatione euitanda victus rationem optimam tanquam scopum habent. Neque dicere obstat, victus rationem diætam dictam inflammationi coercendæ, atque intercipiēdæ parum aut nihil facere posse,quia neque vi reuulsoria reuellit,neque fluentes succos ad affectam partem euacuat: ad hoc enim ita respondere possumus. non posse negari victus rationem diætam dictam neque reuellere quod influit,neque euacuare per se humores posse. Attamen si consideremus diætam paucam quantitatem sanguinis gignere aptam natam esse,iure merito inflammationi occursuram esse credetur,& fluxioni quorūcunque se interponere, vnusquisque per se existimabit. Reddit nanque naturam ad pugnandum validiorem contra prauos succos, cum non habeat multum distrahi circa ciborum concoctionem. Quare cum facilius sit, & commodius hostem extra mœnia retinere,quam ingressum expellere,ita quoque multum confert cibandi ratio. quæ cū in quali,& quanto consistere debeat,atque in substantia, propterea propinandus est ægro nostro cibus tenuis, & paucus,secundo loco frigidus, tertio adstringenti qualitate præditus, neque mirum esse debet,si talis cibandi ratio medicamentosa videatur, cum hoc pacto præscribatur, vt suis qualitatibus occurrat morbificis affectibus, tenuis et-

enim est, ac paucus, ne natura á suo munere auertatur. Frigidus, vt inflammationi occurrere valeat, adstringens, vt fluxionem intercipiat, natura nanque cum copiosa succorum (vt dictum est) affectæ parti seruandæ semper occurrat, si partes tam internæ, quam externæ a diæta paucam quantitatem sanguinis procreante exinanitę sint pro se ipsis id, quo egent, retinebunt, & ita ad affectam partem non trãsmittent. Extat quoque Hippoc. auctoritas lib. de vlceribus vbi multifaciens diætam illam magis recentibus conuenire autumat vlceribus, quam vetustis; hocque eo facere videtur, quod fluxioni obsistat cum recentia vulnera fluxione magis tententur, quam inueterata. Vnde vulneratos fame affligi vult. & in eodem lib. abstinentiam, & aquæ potum vbi inflammatio accesserit, aut impendeat prodesse tenet. Celsus vero lib. v. cap. xxvi. distinctius loquens dicebat, vbi aliquis graue vulnus acceperit a cibo tantum se abstinere debet, quantum uires patiantur, vel ita tenuẽ, & exiguum sumere, vt duntaxat sustineatur. Ex quibus dicendi modis colligo; cibum exhibendum esse intentione desumpta modo ab ægri temperamento facile inędiam ferentis, tum a consuetudine, quæ cibandi rationem tenuem, & parcam minime pati queat. Neque omni tempore omnimodam, & admodum parcam inædiam credo impensandam. æger itaque noster carnibus, & vino abstinebit, ciboque vulneribus congruenti vtetur. Sicuti erit contritus panis in exprętsione seminum peponum cum saccharo, pira, cidoniaque, erunt & optima poma costa. Pro potu autem concocta aqua cum saccharo, aut acidorum granatorum vinum probatur. quia vero semper adest medicus, qui hæc magis exequetur, quam nos nunc ordine præponimus, hac formula diætandi tradita, cibationem per tempora morbi imperandam illi remittimus. & capiti huic, vbi de sanguinis missione, de cibandi modo, & de

medi-

medicamentis primo occursu apponendis agitur, finem imponemus, totius corporis purgationem breuiter tractaturi.

DE PVRGANDI RATIONE.
Cap. IX.

CVM medicina ad fugandos, depellendosque morbos chirurgia, diæta, & pharmacia vtatur, hactenusq; de chirurgia, & diæta pertractauerimus, nunc de pharmacia, purgatione scilicet, est sermo habendus. Habita itaque semper ratione euacuandi ad ægri temperamentum, & ad vires, quæ, si id fieri possit, ostendent, nec non etiam ad anni tempus, an hyemale sit, an æstiuum, a quibus pharmacorum indicatio desumenda veniet, vt inceptum opus absoluam (currenti vt fertur calamo) breuem, atque accommodatam æstiuo tempori assumendorum syruporum formam tradam, ægro iuuene existente, atque temperatura calida. Hocque facio vt ordine quodam incedam.

Rec. syr. de succo boraginis,
de succo cichoreæ.
vel vice illorum. } an. onc. j.
Rec. sy de succo acetosæ
de succo portulacæ

Aquarum lactucæ
boraginis
vel illarum vice. } an. onc. ij.
Rec. Endiuiæ
Acetosæ.

Misce pro sy. & clarifica.

Dosis adaugeri,& minui poteſt,pro ut magis ægri ſenſus calidus erit,& maiori potione oblectabitur, vel ſi tempus ſummum ſit æſtus, deinde ſyrupis quinque aſſumptis plus minuſue, vt dictum eſt, ſtantibus omnibus prædictis intentionibus,tale propinabitur pharmacum.

Rec.Rhabarbari electi pull.drac.j.ſ.

Cum decoctione florum & fruct.q.ſ. f. p.

Vel ſi magis placeret,propinabitur bolus caſſiæ cum tamarindis; ſi vero frigidum ſit cœlum,& æger frigida ſit tẽperie,neque febriat talium ſyruporum erit vſus.

Rec.ſy.de betonica
de mentha
vel eorum vice
Capill. veneris
de citrach. } an. onc. j.

Aquarum betonicæ
de abſinthio
vel earum vice
Capill.veneris
de ſaluia. } an. onc. ij.

Miſce,& clarifica pro ſyrup. & ſic pro quinque, quibus aſſumptis præbeatur tale pharmacum.

Rec. Elect. de ſucco roſarum drac.ij.

ſyr.roſati ſolutiui onc.iij.

Miſce,& cum aqua cichoreæ q.ſ.f.p.

vel. Rec.confect.ſenæ drac.vj.

vel maior ſit doſis,prout videbitur medico phiſico præſenti,cui in hoc negotio purgationis libenter defero. Interdiu tamen,mane ſcilicet ante prandium,& in veſperis ante cænam electuarij inſcripti cochlear vnum aſſumat, cuius uis malignitatem veneficam reſpicit.

Rec.

Rec. facchari rofati } an. onc. ij.
boraginati
pulueris terræ figillatæ } an. drac. j.
boli armeni orient.
cornu cerui præparati } an. fcrup. ij.
Margaritarũ præparatarũ
Mifce & cum fyrupo de acetofitate citri, quantum fufficit, formetur electuarium.

CVRA HORVM VVLNERVM prima die tranfacta traditur. Cap. X.

PRIMA die tranfacta, & his, vt fupra dictũ eft, conftitutis, ad amouẽdam ftupam medicus acceffurus aliud medicamenti genus paratum habere debet, quod omnibus propofitis intentionibus fatisfacere valeat. Et primo vlcus ipfum in duas præcipuas, atque genericas partes diuidendum venit, ficuti & medicamentum; altera quarum labia refpiciet, altera fundum, & circumiacentes partes. Hinc duplex medendi vlceri intentio oritur, vna quæ ad labia, altera quæ ad fundũ dirigitur. & quia aliquando fundum patentius altera parte eft, ita vt cogamur modo placentulis, modo tentis vti, primo infcripto medicamine tentæ illinientur, alterum fupra petiam extenfum labijs apponetur. primum tale erit.

Rec. butyri recentis } an. onc. iij.
pinguedinis fuillæ liquefactæ
ol. rofati } an. onc. ij.
fambucini

Vitelli

Vitelli ouorum nu.iiij.
Theriacæ el.ʒ.ij.
Boli orient.ʒ.i.ſ.

Miſce,& cum terebinthinæ claræ optimè lotæ onc.ij. paretur digeſtiuum ſecundum artem,quo vtemur, vbi car noſæ partes tantum læſæ ſint, & vſque ad nonam tranſa- ctam, quo tempore tota ignea vis extincta eſt. At quo- niam dolor,triſtis admodum ſenſatio,& ſymptoma vehe- mens accidit,quod oriri ſolet(læſis partibus neruoſis)pro- pterea omnibus derelictis intentionibus, illi opem ferre cogimur,cum vires proſternat,ægrotantes ſimul lædat,aſ- ſidenteſque & partes in conuulſionem trahat,& multa a- lia mala procreando ægrum necet. Sicque ſupra petiam tale extendetur medicamentum.

Rec.vng.tetrapharmaci dicti }
Raſini } an. onc. j.
de tutia
de calce
Roſati } an.onc.j.ſ.
Populeonis
Albi camphorati

Miſce diligenter ſimul.

Hocque medicamento ad extra appoſito dolori pro nũc erit occurſum,& alijs præter naturam affectibus vlceri cō- mixtis. intus vero ſuperiori medicamento addetur oleum de terebinthina, de raſa, de abiete, per ellambicum extra ctum,vel accipiatur ol. ſcorpionum vetus.

vel Rec.ol.ex vitellis ouorum
ol.Hypericonis } an.drac.j.v.
Butyri recentis

Miſce & conficiatur linimentum molle.

Vſum

Vsum quoque cataplasmatis alicuius laudo, vt dolor tollatur, vel amolliatur, a Galeno doctus iij. de compositione medicamentorum per genera, qui in doloroso neruorũ vulnere, cum videret medicamentum siccans non proficere, quia saniem non euocabat, dogma Hippoc. sequutus in lib. de vlceribus, vbi inquit, si uis dolorem sedare, cito supura, mutato consilio ad emplastri vsum optimo cum successu se conuertit. quare vsum emplastri ex Altheæ radicibus coctis cum butyro atque hordeacea farina paratis laudo, nec non etiam ex vsu in similibus affectibus est mihi. Summe etiam confert olei communis tepidi membro affecto longa perfusio, dummodo vlcus non tangat, ol. etiam rosati completi tepentis embrochationem super affectum mẽbrum factam commendamus. Emunctorijs quoque affecti membri, vt erunt axilla, vel inguen, talis inunctio calida conferre videtur, & est:

Rec. ol. Hypericonis de terrestribus lumbricis Camomillini	an. onc. ij.
Liliorum alborum	
Costini Vulpini Irini	an. onc. j.
Castorei recentis ʒ.ij.	

Misce, & cum cera fiat linimentum molle, quo tepido bis & ter inungantur. Emunctorijs dictis postea lana succida dicta, vel molle œsipum supra paruum linteum apponatur. Aetius magnæ auctoritatis vir vult Anethum, & mentam in oleo coqui, deinde in vulneribus neruorum instillari. Rasis vero xii. sui continentis ol. lumbricinũ per se tantum laudat. Auicenna balsamum commendat, quo

cum

cum nunc careamus, extracto ex myrrha, quod extractum myrrhæ vocant vtimur. Verumtamen unum adnotare volo, quod ſemper medicus doloris cauſam reſpicere debet, vt illam cognoſcat, quæ cauſa cognita, atque optime perſpecta tollenda eſt, non reſpiciendo tempus morbi, neque ætatem, neque alia. Propterea quod dolor vnum eſt ſymptoma, ægrum in omni ſtatu crucians, atque omni tempore, & omni ætate. Hoc tamen verum eſt, quod conuulſiones hyeme magis procreantur, quam æſtate, & in ſenibus potius oriuntur quam in iuuenili ætate conſtitutis. Hæcque pauca de dolore ſedando, pro nunc ſufficiant, atque de vlcere vſque ad nonam diem curando.

DE VLCERIS CVRATIONE transacta nona. Cap. XI.

VVLNERE, vſquequo eſchara deciderit, hoc pacto curato, cum alio modo tempus præſcribi non poſſit ob diuerſam ægrorū naturam, ætatem, atque affectarum partium ſedem, & anni tempus, vlcus exami nandum diligenter a medico venit; vlcus dico, quia a materia purulenta, quæ excernitur, vulnus in vlcus degenerauit, & primo animaduertendum venit, an vlcus iſtud ſordidum ſit, necne, an cauum, an lene, & illo ad has ſpecies accommodato; vlceris cura inchoāda eſt, ſuperioribus intentionibus amotis, & ſi ſordidum ſit quod ſtatim his vlceribus accidere ſolet ob lenientium medicamentorum vſum, tunc abſtergentibus vtendum cenſeo. Si caum ocarne replendum, ſi lene cicatricandum, ſemper intenutine curatiua deducta a contrario affectu. Abſtergendum

gendum itaque erit ablutionibus, atque medicamentis id facere aptis, natisque, vt erit ablutio ex aqua hordei melle rosaceo simplici commixta, & alijs similibus medicamentis vlcera abstergere valentibus, consilio semper directo ad maiorem, minoremque sorditiem, qua vlcus polleat, secundum quam maiora, minoraque medicamenta exigit. Ad cauum vlcus curandum carne illud replendo, cum abstergentibus vtamur, de illo nunc nihil dicam, tollenda nanque de medio sunt impedimenta, vt sordes, & similia, ad hoc vt caro in cauo vlcere regenerari possit, hæcque topica, & localia medicamenta dicuntur. quo vero ad illa, quæ internam causam respiciunt, vt purgationes, & victus regimen optimum, de his cum satis abunde sit pertractatum, vnum hoc adnotare placebit. Quod cibus in tali casu assumendus crassior, & copiosior esse debet, ex Hippoc. doctrina lib. de vlceribus, vbi vult pro inædia intelligendũ esse paucum, & tenuem cibum, & magis recentibus conuenire vlceribus, quam inueteratis, hisque præcipue vlceribus, in quibus caro regeneranda venit, quia si caro regeneranda est, a sanguine copioso regenerari debet, & si optima a sanguine optimo, secundum deperditæ carnis exigẽtiam, quemadmodum inflammatio si arceri debet, a cibis paucis, qui paucam sanguinis copiam gignant, cohibetur. Et cum duo excrementa vlceribus propria semper sint, & illis fere communia, atque familiaria, quæ primos scopos vlcera curandi ostendunt, vnum tenue, alterum vero crassum, iccirco exsiccandum est cum abstersione, quæ duæ actiones vtique a medico peraguntur ope medicamentorum id efficientium, & quamuis caro absque alicuius adminiculo regenerari possit, nihilo tamen minus optima dici non meretur, quia alba, & humida est. Aliud quoque adnotandum venit, quod scire non sufficit exsiccandum, & abstergendum fore, vtrum quantum etiam exsiccan-

dum, & abstergendum sit, non ignorandum est. Cum imo modica medicamenti exsiccatio aliquando vim regenerandi carnes absumat. Itidemque de medicamento abstergente dicendum est, par nanque ratio militat, quia abstergens validum non solum sordes abstergit, verum nimia vi sua abstersoria tenellam carnem absumit, atque detrahit; quapropter ex Galeno nota exsiccationis partis temperaturam sequetur, vt scilicet si pars affecta sicca sit, medicamentum per vnum tantum gradum exsiccare debet, vt quæ sicciores sunt partes siccioribus medicamentis gaudere procul dubio sciamus, quæ vero molliores minus sicca medicamenta desiderare, & ita temperaturæ in vniuersum molliores, & sicciores, & medium inter has locum habentes, secundum sui naturam expostulabunt medicamenta ex Gal. iij. methodi cap. ix, & demum temperato semper vtendum medicamento potiusquam alio, quia quamuis inter se natura atque temperamento differant, attamē, cum sint simul mixta, tēperatum corpus in vniuersum efficiunt, & hac de causa temperata quoquo pacto pars affecta dicetur, & ob id medicamentum quod vlui esse debet temperatum sit necesse est, semper tamen ad siccum vergens propter vlcus, nam sano siccum propius est, humidum vero nō sano. Ad medicamenta modo sarcotica, idest, carnem regenerantia deueniens, quoniam multa, & diuersa admodum sunt, tam simplicia, quam composita, quibus passim vtimur, illa in duas classes sunt diuidenda, alia nanque arida sunt, vt pulueres, alia humida, vt linimenta, & pari ratione alia mitiora, alia validiora. Arida mitiora sunt, thus, mirrha, & eorundem fuligo, farina fabarum, hordei, pix arida, lignorum caries, orobi farina, & fænogræci. Validiora sunt, aristolochia, iris, farina erui, cadmia, pompholix, vlmi folia in puluerem redacta, aloes, plumbum vstū; quæ omnia a Galeno in lib. de medicament. facultatibus

habentur,

habentur, nec non a Dioscoride. Humida vero & illa duplicem diuisionem habent, leuiora nimirum & validiora. Leuiora sunt butyrum, humida æsipus, pix liquida tam naualis, quã colophonia dicta, terebĩthina, rasina, abietina: validiora sunt, quæ in vnguenti, vel linimenti formam cõposita sunt, vt vnguentum aurenm dictum rasinum, vnguẽtum de betonica, vnguentum de matresilua, vnguentum basilicum, ita ab Arabibus vocatum, quia regiam potestatem possidere inter cætera vnguenta videtur. Vnum tamen adnotandum venit, quod sunt, qui nolint vbi vlceri coniuncta sit inflammatio, talibus vtendum medicamentis in principio esse, quod nos ex Galeno iij. methodi si alijs medicaminibus inunguntur tuto fieri posse asserimus, cum præcipue alia medicamenta inflammationi resistere valeant. Neque solum illo in loco videtur Galenus refrigerantibus vsus esse, vt mandragora, & hyosciamo, quæ quamuis aliqua siccitate prædita sint, nimis tamen refrigerando partem vlceratam afficerent. Sed si quis dicat hãc Galeni sententiam ipsi repugnare, qui primo quoque de medicamentorum compositione per genera habuit, vel repellentibus per initia in vlceribus vtendum esse, ne inflammatio suboriatur. Respondeo, nos extra principium vlceris esse, ita vt suborturam inflammationem non timeamus, & si qua adsit inflammatio, illam potius alijs humoribus commixtam esse credendum est, quàm per se existere, qui humores potius laxantibus, quam refrigerantibus egent simpliciter, quorum medicamentorum vsum non inscribo, quia perfecte præscribi non potest, sed iudicio præsentis medici subijciuntur. & vt incœpto ordine pergam, repleto vlcere carne, ad medicamenta cicatrizantia appellata transeundum est, vt quod in hoc vlcere vltimo loco efficiendum venit perficiatur. Circa quod dico, quod horũ medicamentorum vis exsiccando, atque adstringendo cõ-

 sistit,

sistit, vnde idem ordo, & horum medicamentorum est qualis fuit superius enumeratorum, nimirum quod alia magis, alia minus adstringunt, atque siccant, & primo vt enumerare leuiora incipiam, & deinde ad minus sicca sermonem meum dirigam, inter mitiora erit, triapharmacum medicamentum, enumeratum a Galeno primo de compositione medicamentorum secundum genera, quod medicamentum quia multipliciter paratur, ita quoque est ad multiplicem vsum, prout magis, minusue concoquitur. Et ex hoc colligi facile est, valere posse ad cicatricem inducendam mollioribus, atque duris corporibus, huic succedit vnguentum de plumbo dictum, de tucia, album, pauli. Validiora sunt, dia calciteos, aliter diapalma dictum, à Galeno tantis laudibus decantatum, vnguentum de cerusa cocta, Ceratum ex minio, ex tutia, ex cadmia, isis, & in summa alia ceratorum genera; quæ apud quamplurimos ad hunc vsum sunt parata. quæ pauca ad vlcus sordidum, & cauum curandum dicere libuit.

DE VLCERIBVS QVAE DIFFICVLTER *cicatricem admittunt*. Cap. XIII.

CVm fere per accidens sit mihi de vlceribus sermo habendus, nunc ad vlcera, quę difficulter cicatricem admittunt, est sermo conuertendus. hactenus enim de vlcere, quod facile, vt ita dicam, cicatricem admittit, me egisse credo, neque aliquem vlla admiratione corripi censeo, si hæc pertractare intẽdam, cum vulnera sclopetorum, atque archibugiorum ab alijs non differant, nisi ratione principij sui, quo ab alijs di

uersam curandi rationem requirunt, unde & in vlcera hęc degenerant, necnon in contumacia, atque rebellia, aliquando in fistulas, atque sinus vertuntur, de quibus omnibus necessaria erit pertractatio, quemadmodum etiam ex necessitate, de vulneribus has cauitates humani corporis oblædentibus pertractabitur, & vltimo loco de ossium cō tinui solutione peragetur. Vlcera itaque hæc, quæ difficulter cicatricem admittunt, quia ex se ipsis, quod sensu apparet, nullum impedimentum habent, ob id causa indaganda venit, a qua tale impedimentum oriatur. Duplex namque est, primum est quando a toto corporis habitu fluxio facta est ad vlceratam partem. Secundum, quando particularis aliqua, & specialis pars ad vlcus humores demandat, qui postea quoquo pacto transmissi sint, ita partē afficiunt, vt cicatrizari non possit. Vnde adnotandum est, quando humores sensibiliter ad affectum locum demandati fuerint, quod aliquem tumorem excitare debent, qui tumor vlcere prius curandus est, quod de varice dicēdum est ex Galeno, & omnium consensu. Secundo loco etiam est, quando pars affecta prauum aliquod vitium contrahit, a quo succus quamuis optimus ad alendam partem transmissus vitiatur, vel est etiam, vt Galeno videtur commento vi. Aphorismi iv. aliquod vitium in subiecto esse cō tractum, a quo cum vapores eleuentur maligni, & tetri, caro superposita vitiatur, In prauumque consensum trahitur, ita vt orimodæ cicatrici obsistat, vel suborta in causa sit, vt iterum erodatur, quapropter cum tota difficultas in casu isto sit partim fluxio, partim malus habitus in parte læsa contractus, hac de re primo fluxioni, mox malo habitui danda est opera. Fluxio itaque in via intercipi debet, vel ab affecto loco humores sunt auertendi, & quia a principio de omnibus his fuit pertractatum, restat nunc vt ad topica medicamenta breuiter deueniamus, supposito sem-

per quod medicamenta exsiccantia, & adstringentia apta sint non solum fluentes materias intercipere, verum partem affectam in suo statu seruare, præsertim cum moderate siccent, atque abstergant: modo, vt ad vlcus, quod difficulter cicatrizari potest, sermonem meum vertam, cum duplex medicamenti genus ad hoc faciendum habeatur; alterum, quod malignis vlceribus opitulatur, & est valde siccans; alterum minus siccans, quod non malignis vlceribus prodest, argumento deducto a minori ad maius vnum adnotandum venit, & est, quod tale medicamentum siccans absque morsu debet esse, neque multum adstringens, quemadmodum visus est Galenus velle primo de compositione medicamentorum secundum genera, quo in loco vult valde adstringentia medicamenta facile vlcera exasperare solere, & eo magis si cum morsu siccent, quemadmodum valde exsiccantia faciunt, a qua exasperatione inflammatio suboritur a dolore excitata, quæ inflammatio, cum partes circumpositas extendat, in causa est, vt difficulter cicatrix inducatur. Notandum est quoque, quod difficulter medicamenta vlceri apposita cognoscuntur; quoniam medicamenta, quamuis mordicent in principio, parum tamen vel nihil mordere videbuntur, quia a copia uirulentæ materiæ illorum mordacitas obtundi potest, quare cum diffinitus modus his vtendi per se describi non possit, medici industria huc tendit, vt scilicet impressio, & mutatio in vlcere a vi medicamenti facta obseruetur, quæ, cũ detrahitur medicamentum, statim apparet, atque videtur, & ad aliud medicamentum deuenire necesse erit, quoniam transacto illo tempore, vel excrementorum dempta copia, tale medicamentum vlcus amplius suffere non valebit. Galenum itaque sequens, primum medicamenta, quæ his vlceribus curandis commoda sunt, exponam, oleo, & cera commixta: & vt a metallicis exordium ducam, prima est

cadmia,

cadmia, quæ citra morsum desiccandi vim habet, & modicam, de illa loquor quæ in mineris reperitur, namque si diutius extra suum locum seruetur, vel abluatur, eius facultas vitiatur, quia non sic exiccat vti faciebat, & quia, vt dictum est, modice cum siccet, si ut magis siccet, & copiosius intendamus; aceto acerrimo, vel gilbo vino adstringenti facultate prædito abluenda est, quæ chalciti magis vsta siccat, & eo magis si igneæ facultatis non sit expers, si verò illa abluatur minus siccabit, & in eadem sunt sylua, calcanthum, misy, sory nisi quod alterum altero magis siccat, atq; adstringit. Diphriges etiam a Galeno inter medicamenta vlcera curantia, quæ ægre cicatricem inducunt, enumeratur; Et quoniam sæpe his vlceribus caro mala superexcrescit, medicamentis indiget quæ illam absumant, vt sunt ærugo, viride æris, alumen combustum, quæ modo per se sunt ex vsu, modo alijs commiscenda, multa etiam alia sunt simplicia ex Galeno iiij. de compositione medicamentorum per loca, & ex Dioscoride velutes, cicercs, lupini, isatidis, & multa alia quæ breuitati studens omitto, cum nostrum institutum sit vulnera bombardica curare, & quæ illa sequuntur. & ita ad aliam vlceris speciem curandam me conuertam.

DE VLCERE CONTVMACI, ET REBELLI curando. Cap. XIII.

HACTENVS de vlceribus, quæ cicatricem difficile admittunt, ſatis ſuperque pertractatum eſt, nunc vero quia aliquando accidit, quod vulnera ſuppoſita diuerſam a ſui natura naturam nanciſcantur, ea propter de vlcere contumaci atque rebelli curando eſt mihi nunc animus pertractare. nolo enim (ſi fieri per me poſſit) aliquid in præſenti curatione deſiderari. Conſtat igitur quod vulnera hæc a qualitate venefica aliquam malignam naturam ſemper ſapiant, & quoniam a prauorum ſuccorum affluxu id fere ſemper oriri videtur, & præcipue cum inflammatio pituitam, vel ſanguinem atrabilarem ſecum duxerit, ob id ſecundum maiorem minoremque horum chimorum affluxum, magis vel minus contumax dici meretur vlcus, magiſque gangrenoſum, & minus gangrenoſum, & ita res quandoque fert, vt morbus in ſphacelum deſinat. Fluxione itaque ab vlcerata parte excluſa, atque malignitate cum gangrena etiam ex ſpirituum vitalium extinctione oriatur ad medicamenta localia, quibus paſſim medici vtuntur deueniendum eſt, conſilio directo ad omnia ea quæ inſigniter ſiccant, prout a talibus vlceribus ſemper maligna, atque ichoroſa humiditas excernitur. hoc tamen adnoto, quod interdum ſimplicia per ſe ſatis ſunt, interdum vero alijs commiſcenda ſunt, vt Galenus vi. de compoſit. medicamentorum ſecundum loca velle viſus eſt, quod tum ratione affectus elicitur, tum ratione naturæ totius corporis, temporiſque, & reliquorũ, quæ talem indicandi rationem habent, qualem medica-

mentorum

mentorum varia, & accommodata compositio, & symetria, vnde pro scopo, ac fine in vniuersum statuendum venit tale medicamentum vlceribus contumacibus atque gangrenosis valde siccans debere esse, etsi cum pauco morsu sit, esse nanque haud poterit, quin tantæ humiditati aliqua sordes coniuncta sit, ob id abstergentia medicamenta huic exsiccanti valido commixta inutilia fore non videntur & si tale medicamentum valde siccare dicimus, nō tantum huic adeo putredinoso vlceri confert, sed etiā fluxioni succorum obstabit, & quia ab insigni humiditate a putrido calore progenita pars exulcerata a suo naturali statu recessit, hinc oritur, quod medicamentum istud siccans, & de necessitate adstringens partem in suum naturalem pristinum statum perducere aptum est; & si non ex toto saltem pro parte id facere valebit, vnde nos aliquando ad faciliorem curationem tali vtimur medicamento.

℞ec. fol. lapatij acuti }
Scabiosæ } añ. m̄. ij.
Plantaginis. }
decoquantur in aqua optime salita.
Ol. myrthini drac. iiij
Farinæ hordei }
Orobi }
Fabarum }
Lolij } añ. onc. j.
Lentium }
Cicerum. }
Salis communis optime contriti parum.

Misce, & forma emplastrum, quod affectæ parti apponatur tepidum. neque dicere obstat nos in medicamento ad vlcus putridum parato vti oleo cum ex Galeni doctri-

na iiij. de compositione medicamentorum secundum genera, vbi Hyppocratem sequi videtur in lib. de vlceribus, apparent omnia laxantia, atque oleaginosa vlceribus aduersari, & inimica esse. Nam per eumdem Galenum respōdetur, qui in libris de medicamentorum compositione oleum, & adipem aliquando in medicamentis conficiēdis assumit, non vt medicamentum vlcus curans conficiat, sed vt sibi paret opportunum medicamentum, & his, vires acrium valde simplicium obtundat; Et præsertim quando partes neruosæ affectæ sunt, quæ vt plurimū illæ sunt, quæ a gangrena corripiuntur, vt frigidiores alijs. Aegyptiacū vnguentum vtile admodum est, præcipitatum aliquo lenienti medicamento commixtum, vnguentum quod ex viridi æris conficitur, & auripigmento. Et aliquando ad tantam deuenit putredinem vlcus, vt sphacellū minetur, & tunc sublimatum cum alumine combusto exigat suillæ assungiæ, butyroque commixtum, & vltimo loco ad ignem deueniendum sit; quæ omnia putredine non ita consigniter vigente, alijs commiscentur, vt admodum valida putredine existente istis per se ipsis vtendum est supra filamenta extensis. at putredine amota, quia semper prauus aliquis fomes in supposita carne remanet, a quo non ita facile cicatricem admittere possit vlcus, ad alia transire medicamenta necesse est, quæ absque morsu siccent, maiori tamē siccitate polleant oportet, quam illa, quæ alijs vlceribus adhunc vsum esse dicebamus. Mollioribus itaque corporibus ceratum diapalma conueniet, & ex cadmia, ab Auicenna iiij. quarti enumeratum, opportunum erit, & vnguentum isis, & ceratum gratia Dei, sic dictum, medicamentum quoque ex vera pompholige oleo masticino com mistum probatur. Postremum meum hoc vnguentum inscribere volui, quod vlumus non possidere partes ex vsu didici.

Rec. ol. amigd. dulc.		
Vnguenti rosati	}	añ. onc. j.
Vnguenti rasini		
Præcipitati electi	}	drac. iij.
Ceræ parum.		

Misce & igni apponantur omnia preter præcipitatum, & cum feruere inceperint immittatur præcipitatum, & semper agitentur baculo, vsqueque tepidum remaneat, postea aqua plantaginis lauetur. Supra filamina autem vel supra petiam extendi debet, & hoc alijsque medicaminibus, quæ breuitatis causa prætereo, nos putrido vlceri tuto opem ferre posse arbitror. sed iam de sinuoso fistulosoque vlcere loquamur.

DE SINVOSO VLCERE ATQVE FISTVLOSO
Cap. XIIII.

VLCERA, quæ ægre, atque difficulter pristinam sanitatem admittunt, in duplici, & ipsa sunt discrimine quo ad sui qualitatem, alia nanque plana sunt, alia non tantum caua, verum etiam sinuosa. & inter sinuosa, quibus obductus est callus, & inter hęc, quæ suppositum os corruptum habent, cum etiam callosa sint. Sinuosa itaque vlcera illa erunt, quæ cauitatem manifestam habebunt cute tectam, quibus osculum angustum est. Et quia Galenus lib. de tumoribus præter naturam dicebat fistulam esse sinum angustum, & oblongum, icciрco sinus genus erit sub se fistulam quasi

ſpeciem continens. quamuis fiſtula ex eodem Galeno ij. prognoſticorum a figura tale ſortita ſit nomen. Inſtrumentum nimirum oblongum, anguſtum, & excauatum, muſicum imitans. Cauſa ſinuum eſt purulenta materia cutim excauans, atque lacerans, illamque ita ſegregans, atque diſiungens, vt minime per ſe in priſtinum ſtatum reduci poſſit. ex quorum affectuum mala curatione, & callus contrahitur, & in fiſtulam deſinit. Sinus quoque ex aperto abſceſſu, excretaque materia oriri dicitur a Galeno commentario xxvij. libri ij. de his, quæ in medicatrina fiunt, quo in loco dicit, abſceſſum diſcectum non amplius abſceſſum, ſed ſinum appellandum eſſe. Verum quia quandoque ex magnis contuſionibus oriuntur ſinus, quemadmodum fieri conſueuit in vulneribus quando putreſcere incipiunt; ex Hippoc. dicente omne contuſum neceſſe eſt putreſcere, & in pus conuerti; & in eodem libro a colliſione, & caſu cutim ſeparari vult, & ſinum procreari, hac de cauſa illorū pertractatio neceſſaria eſt, cum talibus vulneribus contuſio adiuncta ſemper ſit. Sinus itaque aut rectus erit, aut obliquus. ad latitudinem, cuius talis inchoabitur cura. Vel enim integre illum curare intendimus, vel fictitio modo: quemadmodum à Galeno docemur in lib. de tumoribus præter naturam. Recte quidem curamus ſinum, quādo partes diſiunctas, & a ſe inuicem abſciſſas iungimus, atque agglutinamus, ita vt inter illas nulla intercedat cauitas. Fictitius vero curandi modus eſt, quando inter eas partes aliqua remanet cauitas. Fiſtulæ vero & ipſæ curantur callum amouendo, cum is pro parte curationem impediat, & ſi excrementa ichoroſa, & craſſa, quæ fiſtulæ fundo adhærent, de medio tollantur. Notandum tamen venit ex Hippoc. lib. de vlceribus quod tota ſinus pars ſuperior, vel decliuis comprimenda eſt ſpongia. vel plumaceolis, & præſertim vbi pars ad varicis formam tumeſcere videatur, vel ſi

sinus fundum in decliuiori loco non habeat, tunc contra apertio efficiatur. Verumtamen antequam ad Chirurgiam deueniatur ablutionibus exsiccantibus, & abstergētibus per syringam immissis vtendum: vt ex Galeno secundo de Medici officina commentar. xxviij. & mulso, & vino multo. nos vero oximelite ebullito cum simplicibus vim abstergendi, & siccandi habentibus in uino utimur; uel aqua ardens cum sarcoticis est ex usu. Vnum non est omittendum, quod Galenus in lib. de composit. medicamentorum nolle uidetur, mariscas, & fistulas, absque optimo uictus regimine, & purgatione esse curandas; unde alter uidetur suboriri curandi modus, eapropter corpore peroptime purgato exhibendā esse laudo per dies quindecim ad pondus unciarum sex in mane potionem hanc, quam a patre meo didici, & multoties felici cum successu expertus sum, est autem talis.

Rec. Rad. Althea pp.
Vnifolij
Prasij
Anthemisiæ
Caulium rubeorum
Lapatj acuti
Pimpinellæ
Summitatum rubi
Rubeæ tinctorum — añ. misce. f.
Aristolochiæ rotūdæ
Consolidę minoris
Plantaginis
Matricariæ
Centaureæ minoris
Matrisyluę
Betonicæ
Saluiæ

Thuris

Thuris maſculi
Sarcocollæ
Seminũ plantaginis
Aniſorum
Fœniculi
Seminum canabis } añ. drac. ſ.

Croci
Rhabarbari cl.
Florum violarum. } añ. drac. ſ.

Miſce & infundantur in libris ſexdecim uini albi optimi odoriferi, poſtea addantur mellis deſpumati librę quattuor, & ebulliant ad conſumptionem tertiæ partis.

Contra fiſtulas uero, quæ callum diuturnum contractũ habent, topicis pugnandum eſt, uel ruptorio noſtro dicto, uel oleo de chalcantho, uel de ſulphure, uel ſimilibus cauſticis ita incedendo, ut callus detrahatur, deinde abluere illas acri lixiuio conuenit ex Galeno ij. ad Glauconem. Auicenna uero aquam marinam laudat, & aluminoſam, Aetius oximelit commendat. Ad oſculum autem rubra, & fulua medicamenta laudantur, & alia medicamenta ſuperius inſcripta proficiunt. Hæcque pauca ſat erunt circa ſinus, & fiſtulæ curam.

DE CAPITIS VVLNERIBVS. Cap. XV.

QVEMADMODVM accidit, quod bellicũ istud fulmen nulli animali parcit, omnesque arborum species æque lædit, ita & nullam corporis humani partem suo ictu, dum illam tangit, illæsam relinquit. Qua propter non mirum videbitur, si cauitates corporis humani ordine curaturus à capite vulnerato à simili telo exordiar. Primo pro capite totum id accipiens, quod supremus venter ab anathomicis vocitatur, qui cũ partibus contentis, & continentibus constet, ob id duplex oritur curationis nota. & quia continentes sunt cutis membranæ externæ os duplex, & contentæ internæ membranę duplex cerebrum, cum suis cauitatibus ventriculis dictis, exortus spinalis medullæ cum corporibus neruosis. relicta cutis cura, & membranarum, cum vt alia copora carnosa curanda veniant, ossis tantum læsiones, & cerebri persequemur. Cum os illud sit, quod primario læsionem patiatur, aliquando enim accidere potest propter distantiam vulnerantis, vel propter galeam in capite vulnerati existentem, vel propter quoduis aliud os tantum vsque ad membranas perfractum esse; circa quod excitatum vulnus omni industria medicus vti debet, vt uideat, an præter fracturam in osse oculis apparentem, aliqua alia subsit in osse passio. Accidit enim aliquando a maximis contusionibus frangi caluariam alia in parte, quam ubi plaga fit ex Hippocrate lib. de uulneribus capitis. Neque solum sufficere uidetur magni Hippocratis auctoritas, uerum experientia nos docuit, dum mortuos a magno, & graui corpore læsos atque

uulneratos dissecamus. Videmus nanque scissuram satis ab ictu longinquam in osse excitatam fuisse, tam in opposi ta parte capitis, quàm in opposita parte partis perfectæ. Et quoniam ab eodem Hippocrate libro citato duplicem fracturæ speciem habemus, manifestam scilicet, & immanifestam. Manifesta illa erit, quæ oculis patebit, immanifesta quæ sub cute occultabitur, & aliquando uitream tabulam ossis ita dictam suprema illæsa permanente afficiet, rimulam capillarem in illa excitando, hæ ambæ fracturarũ species facile dignosci possunt per sæua symptomata ægro accidentia, quæ uulneratis in capite a magno ictu, atq; graui corpore subsequi solent, nimirum bilis, uomitus, uertigo, stupor, obmutescentia, motus & sensus fere abolitio, & alia. Circa quæ unum placet adnotare, quod uertigo, & obmutescentia superueniunt facilius ijs, qui in sincipite uulnerati sunt, quam his qui in alia capitis parte uulnera accepere, propter spirituum animalium concussionem, qui in anterioribus uentriculis elaborantur. Vnum quoque circa has rimulas adnotandum est, quod in omni rima, quamuis admodum angusta, si fieri possit, scalpris abrasorijs uti opportet, quousque rimula deleatur, quandoque enim accidit, quod internam ossis substantiam pertrãseat, & quod ichorosa materia per labia excreta per hãc quoquo pacto intra caluariam feratur, & ita mortem ęgro afferat. Quemadmodum ab Hippocrate in libro de locis in Homine scriptum habemus, quod per angustum intrans, & non exiens id est, quod facit furere hominem, unde tuto ad terebrationem deueniendum, & si rima aliquam suturã superequitet ad utrunque suturæ latus duæ terebrationes moliendæ sunt, quemadmodum si os tantum occupet simplex, in decliuioris ipsius ossis parte unica tantum terebratio efficienda uenit, ut per admodum patens orificium, qui sanguis per ossis diuisionem transmissus est, atque in-

tra caluariam ad putrefcendum occultatur, totus euacuetur. Quibus ita habitis, curatio, quæ in cafu fimili ratione, & experimento tuta habetur, non reijcitur, vt funt in principio olei rofati tepidi fupra membranas inftillatio, deinde tranfacto principio digeftiuum, vel linimentum aliquod arte paratum: ad hoc Galeni cephalici pulueres fupra os infperfi probantur, ad extraque vnguentum de betonica, vel de matrifylua laudatur; & ita vulnus curandũ veniet per fua tempora abftergendo, exficcando, & vltimo loco cicatrizando. Ad vulneratum modo cerebrum me conuertens dico, quod duplices poffunt effe læfiones cerebro impartitæ, ambæ admodum deteftabiles, atque omni fpe deftitutæ. Si nanque vulnus intimas admodum partes cerebri petat, & vfque ad ventriculi cauitates feratur feriens corpus, nulla profecto in hoc cafu cura indigemus propter partium nobilitatem, atque malignitatem venefi cam a globulo illis impartitam, patet nanq; omnibus medicinam profitentibus in ventriculis cerebri fpirituum animalium elaborationem fieri, vnde non defunt, qui ex hoc crediderint animam in cerebro refidere. Sed de medullaris tantum cerebri fubftantia ab hoc fulmine bellico paffa fit, & vulnus iftud læthale eft tum propter veneficam qualitatem cerebro impertitam, vt iam fuppofitum eft, tum propter contufionem a qua, quia cerebrum corrũpi, & in fphacelum vertè poteft, tertia die mortem fubfequi neceffe eft, Hippocrate dicẽte fepti ma particula aphorifm. xl. quibus cerebrum corruptum eft hi tribus diebus pereunt. Cura igitur horum vulnerum a principio erit aggredienda cum oleo rofaceo, vitello oui commixto, vel oleo extracto es ouorum vitellis in principio illa inftillando tepida in vulnus. Progrediente vero tempore quoniã cerebrum de facili corrumpitur, vfus olei de hippericone, magiftrali dicto, probatur, fi melli rofaceo admifceatur, &

ad extra superius dictis medicamentis ytamur. Verum enimuero placet nunc vsum cuiusdam olei de perforata magistralis multum Reuerendi Domini Simonis Gillini Canonici Ferrariensis, & ad chimicam Serenissimi Ducis nostri præpositi in medium afferre, vt ex hoc pateat ex vnico medicamento posse nos multas intentiones curatiuas, & scopos assequi. Dum iunior essem tempore Excellentissimorum virorum Multum Reuerendi Domini Ioannis Baptistæ Canani, Domini Renati Brasauolæ, & Ioannis Boschi Patris mei, quædam ancillæ iuuenis in ædibus perillustris Domini Alexandri Andreasij decumbens casu in sinistra temporis regione in capite pila ex tormentario isto fulgure emissa vulnerata fuit, ita vt specilo in vulnus intromisso medullarem substantiam cerebri passam fuisse visum sit. Huic à principio vsque ad diem vndecimam, qua mortem cum vita commutauit oleo superius dicto de perforata mederi vidi, quæ nullo alio symptomate erat correpta, præter ea à quibus vexari solent, qui telo isto vulnerantur, quam stupore quodam. At si quis dicat medicamentum hoc suppositis a me principijs contradicere, cum primò supponã vulnera hæc veneno obsistentibus, nec non igneæ vi, & suppurantibus indigere. Ad hoc respondeo quod si tale compositum medicamẽtum diligenter perpendatur, ex illius vsu omnia hæc assequi poterimus, constat enim tale medicamentum tanquam ex basi oleo de oliuis ueteri cui infunditur herba, & flores Hippericonis, folia centaureæ, cardus benedictus, & alia simplicia, quæ ueneno obsistere creduntur, gummata non desunt aliquæ, quibus suppurandi uis, & abstergendi inest. resina strobilina, & laticina immittitur, quorum facultas est attrahere. Vnde cum igneæ vi moderate calefacientibus occurramus, & veneno superius dictis herbis satisfactum sit, contusioni suppurantibus, hoc vnico medicamento omnibus his in-

tentionibus ęque satisfactum censeo, & quoniam calidum in secundo gradu est hoc medicamentum affectam partē in suo naturali statu seruat, natiuumque calorem fouet, & alia facit, quæ vt recenseantur, præsentis non est negotij, omnibus nanque illo vtentibus manifeste patent. Hoc profecto de ipso non reticebo, quod in ossibus detectis atque a carne per vlcus denudatis multum proficere videtur, neque alicui mirum videbitur medicamentum actu humidum, atque oleosum ossibus non aduersari, cum Galenus isidi medicamento actu humido ossibus aliquando medeatur. Multa in hoc tractatu à me dicēda essent verum quia ad alia pertractanda proposi tus me or do vocat sermoni huic de capitis vulneribus imposito fine ad alias cauitates curandas, quando à simili telo transfossæ sunt, sermonem conuertam.

DE THORACIS VVLNERIBVS. Cap. XVI.

CVM hæc vulnera thoracis non genere vitij à superioribus differant, sed ratione tã-tum curationis, quantum partes læsæ postulant, ob id thorax ipse duplicem, vt de capite dictum est, considerationem habebit. Primo enim diuidetur in partes cõtentas, & in partes, quæ continent. Insuper continentium partium aliæ carnosæ, aliæ osseæ sunt, & cartilaginosæ, & membranosæ simul. internæ partes nullam inter se diuisionem patiuntur, nisi merito substantiæ, quoniam aliæ solidæ sunt, vt cor, aliæ molles, & laxæ, vt pulmo. Cordis capsulam, & mediastinum omitto, quia à subcingente mẽbrana ortum ducunt. hæc pauca præfari placet, vt facilior horum vulnerum tum dignotio, tum curatio habeatur, per thoracem intelligendo ventrem medium, qui costis circumseptus est. At quoniam istud aggregatum in duas partes diuisi, in contentas nimirum, & continentes, propterea dicendum est; vulnerum horum alia penetrantia esse, alia vero non. Rursus inter penetrantia alia esse absque partium internarum læsione, alia cum ipsarum læsiosione. Quapropter tot vulnerum horum resultabunt species, quot partes in thorace existunt, quæ vulnerum species facile ex suis signis cognoscuntur. & primo, penetrans vulnus esse cognoscitur per candelæ, vel styli cuiusuis in vulnus immissionem. Secundo aeris per vulnus exhalatio. Circa quæ duo signa decipi aliquando possumus, quia candela vel specilum musculorum thoracis cauitatẽ aliquando ingreditur, & ab illa cauitate aer contentus

ęgredi quandoque poteſt. Vel ſi thoracem ad intra pe-tat, tum cauitatem ipſius tranſiliet, vt accidit nobili cuidam patritio, qui breui ſclopeto, piſtola vocitato, (cũ prope admodum feriens icto ſtaret) in anteriori parte thoracis vulneratus fuit. Huic ſtyli magna intromittebatur portio, & multus aer per vulnus ex ſufflabatur. Superuenit tandem febricula leuis admodum, mitioraque fuerunt ſymptomata, quæ ſimili telo læſis superuenire ſolent. Nona autem die tranſacta cum ad excernendas fœces e lecto ſurrexiſſet, lectum poſtea repetens, ſupinuſque (quod non dictu magis quam viſu mirum) præſente Illuſtri, & Excellentiſſimo Doctore Bartholomeo Bertazzolio eius patre vitam illico cum morte commutauit, quamobrem aduentantes medici illum curaturi miſerando tali caſu veluti perterrefacti fuimus. viſa deinde fuit pila mediaſtinum occupaſſe, quę cum in illo contuſionem, inflammationem, venenoſumque halitum excitaſſet, non mirum ſi venenum cum ad cor ſenſim permeaſſet, & pila cum per corruptum mediaſtinum in cordis capſulam deſcendiſſet, repentinæ, vt ita dicam, in cauſa mortis fuere. Nulli igitur mirandum nos ab his aliquando decipi ſignis. candela nanque tali caſu cauitatem ingreſſa erat, & aer in ea cauitate inclu ſus exibat, immo ſi per ſyringam aliquis humor intra cauitatem hanc inijciebatur, ab hac excipiebatur, neque niſi per tuſſim ad extra mittebatur. His itaque ſe habentibus pars thoracis vbi vulnus inſidet eſt perſpicienda, atque diligenter indaganda. Alia adſunt ſigna, quæ thoracem ad intra vulneratum eſſe demonſtrant, quæ in quarta, vel ſeptima die ſuperueniunt, vt quædam grauitas in diaphragmatis regione, dolor partem illam thoracis multum afficiens, tuſſis, ſanguinis per tuſſim ex puitio, valida febris, vigiliæ quaſi continuę, appetitus deiectio, anguſta admodum reſpiratio, contentæ materiæ per vulnus ex ſuflatio,

liuor

liuor ad extra apparens. At ſigna quæ internas partes læ ſas eſſe oſtendunt, a Celſo præcipue traduntur libro quinto capit. xxvi. vbi inquit, ſi cor vulneretur ſanguis multus per vulnus effertur, color totius corporis pallidiſſimus eſt, ſudores frigidi ſunt, & maleolentes. Circa hoc ſignum autem videtur adnotatione dignum, quod vulnerato corde ſtatim perit animal, ita ut per vulnus non poſſimus ſanguinem fluentem videre, ſed ſi caua vena vulnerata ſit, vbi per dexteram cordis auriculam in cor ingreditur, hoc de facili accidere poteſt, quia non ita cito interimitur æger, & multus copioſuſque ſanguis per ipſam emanare poteſt, ſudoreſque tetri odoris ob natiui caloris extinctionē oriuntur, & per conſequens totius corporis colorem in liuidum mutari par eſt. Si pulmo vulneretur, & ab hoc fulmine bellico patiatur, ſpirandi difficultas ſuboritur, ſanguis nigricans, & ſpumans per os, & per vulnus cum ſpiritu multo effertur, in vulnus inclinari iuuat, vnde facile loquuntur, &ècontra ſi in aliam partem declinent, obmuteſcunt. Pari pacto, quibus gula vulneratur, ſingultus, & bilis vomitus aduenit, per vulnus cibum, & potum reijciūt, motus arteriarum languidus exiſtit, & vltimo loco ſudore diaphoretico corripiuntur. Si ſpina vulneretur oritur neruorum diſtentio, illorumque retractio, ſenſus, & motus partium inferiorum intercipitur, interdum quoque inuoluntarij vrinam, & fęces emittunt, vnde ſi non cito ſaltem interdiu pro maiori parte pereunt. Non enim poſſunt partes hę tot tantaque incommoda, & mala perpeti, cum inter principes connumerentur. Ad curationem itaque deueniens, vt rem breuibus perſtringam, & ſuppoſita à me principia non repetam, operæ pretium fore duco curam hanc in duo diuidere. Quorum vnum eſt inflammationem tam internam, quàm externam arcere, & purulentiā ab ipſa inflammatione progenitam expurgare. quo ſcopo

contu-

contusioni, & veneno occurretur. Si nanque expurgabitur quod putridum est, & ad facile putrescendum parabitur medicamentis actu humidis, quanuis potentia abstergentibus, & attrahentium vsu ad extra venenum euocabimus, cum adstringentium vsus, vt boli orientalis non ita tutus habeatur. At quoniam ista purulentia descendit facileque in thoracis cauitate colligitur, vt euacuetur, tribus est procurandum medijs. Primo per vulneris orificium. Secundo per os. Tertio per vrinam. Per os Galenus quinto methodi cap. viij. discutientibus pugnandum esse monet: quare poscam tepidam laudat statim à principio, quam potui bis, ter ue exhibet. Et certe si in casu nostro vel bolus armenus, vel terra lemnia, vel melitensis creta exhibeatur illam conuenire credo: quoniam cruores & escharam à pila excitatam incidet, vi igneæ ad intra immisse occurret, & veneno obsistet dessumpta à terra vel bolo qualitate veneno obsistendi, attamen si infrascripto lambitiuo vtetur æger profuturum arbitror.

Rec. Sy. de farfara
Iuiubini
de liquiritia
Capillorum veneris } añ. drac. ij.
Oximell. simplicis drac. j.
Boli armen. orient. drac. iiij.
Misce & formetur electuarium.

Aquam insuper communem pectoralem cum dictis syrupis potatam in mane tepidam ad sex vncias vtilem fore credo. Postea cassiæ bolus, vel manna ad ægrotantis robur pro alui solutione propinabitur. interim consentiunt omnes rationes, vt apertum seruetur vulnus, ut per ipsum contenta purulentia expurgari possit. & ita secun-

do

do medio erit ſatisfactum. Suppoſito itaque oſculum vulneris apertum eſſe retinendum, tuto turunda à nobis ſuperius adnotato digeſtiuo illinienda venit ex lineo panno confecta, quouſque eſchara ad vulneris labia exiſtens decidat, & vſquequo vulnus iſtud in vlcus degenerauerit, hoc nanque tempore tranſacto vnguento de betonica iſidi commixto vtendum erit, ut ab altero materia attrahatur, & ab altero oſculum ſeruetur apertum, ad extra vero ſupra petiam extendendum principio tranſacto tale præſcribatur ceratum.

Rec. ol. communis
Sepi arietini } añ. drac. ij.
Picis naualis
Picis colophoniæ } añ. drac. j. ſ.
Matrices
Thuris
Galbani
Amoniaci
Serapini } añ. drac. j.
Miſce

Ceræ quantum ſufficit ad conficiendum ceratum.

Hoc tantum vtendum cerato quouſque vlcus mūdum, atque expurgatum ſit, & alia peragere nos cogat neceſſitas, quoniam ſi talia vulnera in longum protrahantur, facile in fiſtulam degenerant. cuius cura cum antea per potiones ſit ſutis habita, de illa ſermonem alium non habebo, ablutionem tantum per paruum clyſterem faciendam proponam ex vino confectam, quo roſæ, balauſtia, ſumacchia, ſalſa, & ligni pauca quantitas incocta ſint. Vltimum reſtat examinandum medium, quomodo ſcilicet per uiam vrinæ materia talis educi poſſit. Materia hæc purulenta

dum

dum intra cauitatem thoracis continetur, per venam supra dorsi spinam delatam per emulgentes ad renes ferri potest. Neque obstat dicere. quo pacto materia hæc tale ingredietur vas, cum ita dura membrana sit conflatū, vt ab illo sanguis haud egredi possit? Respondeo hoc mirum non esse si pleuritide laborantes perpendamus, materiam admodum crassam, ac viscidam, & grumosam (vt per excretum ex ore apparet) per membranam costas subcingentem duplicem permanere; & pulmones etiam ita crassa & compacta ingredi. Verum enimuero si transacto huius morbi principio diuretica in iure decocta ægro propinemus, vtique optime consultum fore existimo, cum natura viam hanc facillime reperiat, qua actiones omnes in corpore nostro molitur, atque sua vi propagat. Circa hoc autem adnotandum est, quod ægro febrienti leuia diuretica propinanda sunt; non febrienti vero validiora. Et hæc pauca circa thoracis vulnera curanda satis erunt. quia ad abdominis plagas me breuitatis studium trahit.

DE ABDOMINIS VVLNERIBVS. Cap. XVII.

POSTQVAM Thoracis vulnerum curationem persequuti sumus, iure merito Abdominis vulnera curanda subsequũtur. & illa præcipuè quæ à pila vulnerante fiunt. Abdomen itaque illud esse circũscribendum est, quod à mucronata cartilagine ad pubem desinit. Et primo notandum differentias horum vulnerum à partibus vulneratis desumi, vnde oritur quod vniuersalis differentia illa est, quæ diuiditur in penetrans & non penetrans quemadmodum thorace vulnerato accidere dicebamus. Penetrans illud esse autumamus quod peritoneo vulnerato internas partes lędit &ècontra non penetrans illud esse quod neque peritoneum neque internas partes afficit, sed musculos tantum vsque ad peritoneum inclusiuè lædit. Rursus esse potest quod penetrans sit cũ læsione partiũ internarum & absq; illarũ lęsione, Dixi cum læsione partium internarũ quia si uis corporis huius lędentis consideretur atq; optimè perpẽdatur vix fieri non potest quod tale telum impetu immissũ internas nõ petat peritonei partes, & nõ lędat quoquo pacto partes sibi adiacentes, quæ sunt hepar, lien, ventriculus, renes, nec non intestinorum tam gracilium, quàm crassorum multitudo. Rursus adhuc duplex vulnus istud existit, vel enim est cum exitu alicuius partis, vt intestini, omenti. vel sine partium exitu. & vt facilius hæc vulnera curentur penetrans à non penetrante ex styli, aut candelæ immissione cognoscetur. quo casu candelam huic vsui magis commodam fore existimo quia cum facile flectatur, neque dura, & renitens sit vt stylus inter-

nas partes minime lædere poteſt, & ab ingreſſu multo cādelæ facilis erit huius vulneris dignotio cuius magis certum eſt ſignum digitus in vulnus immiſſus, aut exitus corporum ad intra exiſtentium vel excuntium permutatio. Cum quod exire non ſolebat exit, & per vulnus excernitur. vel ſi magnum admodum ſit vulnus, aut latens id penetrare dijudicabitur. hæc omnia ſunt ſigna, quæ à Celſo libro quinto cap. xxvi. referuntur. Quemadmodum & vulnerati fecinoris ſigna retulit, vulnus ſub dextra præcordiorum parte inflictum, ſanguinis fluxus, contracta præcordia ad ſpinam in ventrem cubandi dulcedo, punctiones & dolores vſque ad iugulum quibus omnibus nōnunquam biliofus vomitus accedit. At ſi lien vulneretur, ſigna ſunt hæc, ſanguis niger a ſiniſtra parte abdominis exit, præcordia & ventriculus ab eadem parte indurata ſunt, ſiti ingenti vexantur, & quia proximum eſt lien hepati ob id dolor ad iugulum aſcendit. At ſi ventriculus vulneretur, & vna cum illo inteſtina eadem à Celſo ſigna traduntur. nec non quod ieiuno inteſtino vulnerato cibus & potus per vulnus exeunt. At quamuis dicat Celſus quod cibus & potus per ieiunum inteſtinum exeunt intelligendum eſt quod de chylo loquatur, cum chylus ſapiat fere naturam cibi in inteſtino illo contenti, & nonnunquam per os bilis exit quia cum à cyſtifellis deferatur bilis ad ieiunum inteſtinum facilis eſt tranſitus à ieiuno ad ventriculum, vt bilis per os excernatur. Si craſſa inteſtina lædantur fæces exeunt, vel eorum odor perſentitur. Renibus vulneratis dolores vſque ad teſtes deſcendunt, vrina difficulter exit aut cruenta. Veſica læſa, dolor ingicina corripit, locus ſuper pubem intenditur, vrina per vulnus exit, ſtomachus afficitur, bilem vomūt, aut ſingultiunt, frigiduſque ſudor totum ægrorum corpus inuadit, & tandem mors ſubſequitur ipſa. Multa alia

lia signa traduntur, quæ enumerare desino cum hæc pauca relata satis esse videantur. Notandum tamen, quod si talia signa non superueniant, vulneratæ tamen sint partes istæ, repentina suboritur mors. Quod mirum videtur referam, me curasse hominem à simili telo vulneratum præter alios, cui intestina in scrotum iam diu per intestinalem herniam descenderant, & vulnerato scroto ab ictu sclopetario, immo ipso amoto, resectis omnibus intestinis in illo contentis sanatus est, fistulari vlcere in pectine suborto, per cuius orificium fœculenta excrementa, quæ per aluum alias excerni solebant, excernebantur. ita vt si per aluum nihil vnquam exisset, nihil enim per aluum excernebat; uixitque multis annis hoc pacto, immo permultas peragrauit regiones. Alios etiam curaui, quibus cum fuerint intestina dissecta hæc vulneris labijs iũcta, & glutinata per fistulosum vlcus super natum excrementa continuo exibant. neruosa nanque pars intestini carnosæ abdominis substantiæ musculorum iuncta hoc pacto fistulam vel vlcus adapertum induxit. Ad curationem itaque me conuertens breuiter dico talia vulnera in principio proposito medicamento curanda esse, vel aliquo magistrali medicamento allato, quod si partes internæ læsæ sint scypho tale oleum in vlcus immittendum est, quemadmodum etiam alicuius ablutionis vsum non reprobo. Vti etiam tuto possumus medicamento digestiuo composito. a me inscripto, cuius vis vel mitior, vel validior quoquo pacto reddi possit sunt nanque talia vulnera composita supra petiam quoque superius numeratis medicamentis tuto vtemur, parte circumlinita deffensiuo medicamento. & ita huic prauo affectui nos occurrere posse credo. Clysmatum quoque vsum probo, & illorum præsertim quæ ex vsu in intestinorum affectibus parata sunt. Cataplasmatum quoque vsum non re-

ijcio

ijcio si parti affectę apponantur quamuis naturales partes laxare videantur. occurrent nanque inflammationi musculorum abdominis, dolorem remittent, & in summa veneficæ atque igneæ vi. Adnotandum porrò quod ratione humiditatis intestinorum, & frigiditatis non ita inflammatio phlogosis, ab stiticia dicta, pollet, neque venefica qualitas ita facile in his partibus imprimi potest. Quare non adeo mirum si sanatos viderim hos ægros facilius quam qui passi sunt aliarum partium vulnerationem, & hęc de horum vulnerum cura sint satis.

DE FRACTVRIS OSSIVM ARTVVM cum vlcere. Cap. XVIII.

TANTA est telorum omnium, quæ impetu feruntur vis, vt ab illorum impetuoso motu percussa parte ossea corpora non solum frangantur verum in multas minimasque partes, & frustula disiungi à se inuicem cogantur, quare si in casu nostro præter motum quo pilæ velociter feruntur, & aer simul illis commisceatur non solum ossa disrumpi possunt illa communi disruptione farinata nimirum dicta, quando scilicet ad modum farinæ ossa disrumpuntur, sed præter hanc & illis alia fracturæ species schylecedon appellata suboritur, aliquando à prima fractura propter aerem inclusum longe distans tam in corpore læso, quam in corpore lædenti. hoc dicere volui sententiam magni Hippocr. sequens qui quidem in capitis vulneribus à graui corpore atque contundente excitatis, alia in parte caluariam frangi posse vult, quàm vbi plaga sit, quod non tantum à graui corpore fieri posse creditur quantum ab incluso aere, & spiritu in caluariæ vacuo ambitu contento. quo dogmate supposito facile dicere est in casu ob pilæ tormentariæ ictum duplicem fracturæ speciem oriri posse. Alteram quæ sensu patet, alteram quæ sensui occultatur. Rursus quæ sensui patet cum vlcere semper est, altera, quia sub carne latitat absque vlcere esse videtur. Notandum tamen quod non omnibus semper à simili telo vulneratis id accidit, vt scilicet hæ duæ fracturæ species simul iunctæ sint, sed aliquando ijs occurrit qui à pila sunt læsi, & ijs qui multum à feriente corpore distant.

ossi-

ossibusque multum cauis, & magnis accidit, nec non fa-
cilius ficcioribus ossibus. Accidit etiam quandoq; glan-
dem hanc vel totam ossis substantiam transfodere, vel os-
si infixam esse, vel in articulo latere. quapropter quoquo
pacto se habeat res os talem noxam passum propter pro-
gnosticum considerandum duco, & vt facilior reddatur
curat. aliæ nanque sunt curatu faciliores fracturæ quæ per
transuersum, & farinatim modo dicto incedunt, atque ab
articulis satis distant. è contra vero illæ dicuntur fractu-
ræ difficiliores curatu quæ prope articulos sunt, illis vt in
sunt atque obliqua incedunt uia quæ schylecedon spe-
cies appellatur; principijs nanque articulorum propagi-
nes magnæ nervorum deferuntur; & musculorum ca-
pita ab his, vt plurimum emanant; à quorum corporum
læsionè magni cruciatus expectantur, sæuique dolores, &
febres quæ naturam malignarum febrium præseferunt.
Interim fracturarum huiusmodi cum certa signa tradi nó
possint experti Medici iudicio supponuntur, qui dum ma
nibus affectam partem pertractat sensu conijcere debet.
Quandoque etiam accidit fracturis prope articulum exi-
stentibus, vt articulus ipse sua sede dimoueatur, vel sub-
luxetur. Articulus igitur ita affectus prius venit repo-
nendus quam os fractum reducatur, quemadmodum de
pila ossi infixa atque hærente illi est decernendum. tere-
bra nanque, vel tenaculis ad id aptis est euellenda, dein-
de ossi incumbendum; quod vt reducatur optime, rectissi
mis profectò indiget extensionibus ex Hippocrate in lib.
de fracturis moderate tamen est extendendum propter
partes musculosas à feriente corpore laceratas, hæcque
omnia primis diebus molienda sunt antequam superue-
niat inflammatio quæ id exequi impediat, fieri nanq; po-
test inflammationem perbelle oriri posse quia; vt iam di-
[illegible] & affectæ parti succorum copia
occurrit

occurrit, vt illi opem ferat. Notandum porro quod in omni perfracto osse in suam sedem reducto ferulis transacta quarta vtendum est. verum in casu isto in quo insignis admodum carnis attritio facta est ferulæ à principio adaptandæ sunt, quæ neque nimis moles esse debent ne os rectum continere non possint, neque nimis duræ ne sua duritie circuniacentes ossi partes afficiant atque lædant. Verum enimuero si brachium, vel crus læsa sint brachiũ præter appositas ferulas pectori suspendendum est in triã guli formam. & si crus perfractum habeatur præ manibus non arcula quoniam ab Hippocr. non laudatur, verum reijcitur, sed puluinaribus ex crasso papyro confectis vtendum, quæ cum nobis in vsu sint valde proficere videntur. Aliquando etiam vice ferularum paruus canalis conficitur ex crassissima charta tela cerata constructus ad læsæ partis formam, cui subijcitur modo stuppa linea, modo canabina, modo cotonis munitus vel panni linei cum cotone fulcra laudo. Vice etiam fasciæ petia linea ad affectæ partis latitudinem assumatur, vel adeo lata, vt fracturam per quattuor digitorum spatium superet, atq; per sui latitudinem excedat multis capitibus fulcitam à quibus membrum modice deuinctum atque arctum teneatur, cui postea ligaturæ articula statim supponatur & si fieri possit non ita sæpe amoueatur. Hac etiam ligatura vti tuto possumus in brachij fractura; supposito semper membrum non esse transfossum, & in superiori parte vulnus existere. vbi uero secus se habeat alia incedendum uia, vt puta ferulis præterquam supra vlcus appositis, & si alterum os ex duobus remaneat integrum minori ferularum numero vtendum quando os ipsum integrum ferulæ vicem gerat. Notandum etiam quod ossis frustula ui minime euelli debent à principio sed inchoata tantum suppuratione quia à materierum excretarum copia

ſeparatur membrana perioſtium dicta, & à materia ipſa ad vlceris oſculum ducentur vnde facilior extractio, & tutior. Notandum hoc aliud circa faſciandi modum, quod ſinu uerſus articulum vergente leuis faſcia ab articulo ad vlcus ducenda eſt, vt hoc pacto articulum ab occurſu purulentæ materiæ tueamur. Medicamentum vero quod prima facie parandum venit eſt ablumen oui, quemadmodum iam ſancitum eſt, cui puluis boli orientalis, ſanguinis draconis, necnon maſticis, & corallorum rubeorum ſimul commiſceatur ad linimenti formam quod ſupra latam placentulam totum membrum ambientem extendatur, & circiter vlceratam partem diù ſeruetur, vſquequo ſcilicet quarta ſit tranſacta atque iterum iteretur oſſis fracturam reſpiciendo, vel ſi nolimus tale apponere medicamentum ſimile illi componatur, vel album vnguentum quod ab Hippocrate recipitur aliquando. amoſa ſtupa ab vlcere noſtro ſupraſcripto, medicamento vtēdum cenſeo, neque aliquem deterreri opportet dicentem talium medicamētorum vſum propter oſſis ſubſtantiam, & detectam, & læſam non multum conuenire. Quia reſpondeo neceſſe eſſe magis in vlcus incumbere quam in os, præterea dico quod medicamento ſupra ſtupam impoſito in os incumbimus hoc vero vlcus cōtuſum, & ignitum curamus ita quoque ſæpe ſæpius medicamina adhibenda erunt, necnon bis in die expurgandum eſt quamuis Hippocraticæ doctrinæ hoc caſu talis medendi modus aduerſari videatur. qui per quietem oſſa iungi vult ſeptima, vel nona die tranſacta quod quidem tempus in tali morbo pro principio habetur, permutandæ ſunt ęqui dem omnes curandi intentiones, & primo de ligatione loquens dico faſciam alijs medicaminibus præferri debere quoniam ſaniei expellendæ atque vlceri abſtergendo commodior eſſe videtur. Erit igitur ex Hippocrate lib.

de fracturis tantæ longitudinis, vt membrum læsum ab vtroque capite deuincire valeat, & cum circunducta à duobus capitibus esse debeat vlceri vel vbi fractura adsit inchoabit in fascia orificio ad vlceris magnitudinem facto, vel illa supra vlcus cruciatim apposita ita vt vlcus pateat & siqua ossis portiuncula extra vlcus appareat non disrupta, sed corpori suo continuo annexa ferrula amoueatur ita enim sumus ab Hippoc. docti lib. citato, & intentio medicamenti permutanda quoniam vlcus id postulat, & affecta sedes aliter indicare videtur propterea, quod os detectum atque fractum maiori exsiccatione opus habet, vt extrema ossa disrupta simul iungi possint vnde omnia impedimenta amouenda sunt quare cæfalica cum medicamentis inscriptis tuto commiscentur necnō alicuius medicamenti magistralis Balsami susius appellati probo; Inscriptio cuius cum non possit non prodesse, & quia hanc à nullo adhuc inscriptam reperi, cum mihi nuperrime tantum data sit describam. Est vero huiusmodi.

Rec. ol. de oliuis lib. 4.
Ol. de Altheæ lib. 1.
Aquæ vitæ onc. iiij.
Seminū perforatæ dictę Hyppericonis, Florum illius } añ. mis. iiij.
Terebentinæ lib. 1.
Mumiæ electæ, Masticis } añ.
Myrrhæ electæ, Ligni aloes, Gummæ citri, Styracis calamitæ, Gummi elemi } añ. drac. vj.

Croci

Croci
Belzoini
Picis colophoniæ
Styracis liquidi
Nucis moſchatæ
Cinamomi ana. drac. ij.
Gariophilorum
Spicæ nardi

Miſce omnia ſimul pulueriz atis pulueriz andis & ſimul mixtis humidis ad ignem vſquequo leuiter ebullierint quo tempore ſpecierum in humidis facienda eſt infuſio, & permittenda vſque ad teporem, vltimo loco ponentur gummata, & ipſa in puluerem redacta. Hoc facto totum medicamentum ad balneum mariæ dictum ebulliendum ponatur, ſæpe illud miſcendo, & ita permittatur manere per ſex horarum ſpatium, vel alio modo per vaſculum vitreum per elambicum extrahatur. & validius erit medicamentum ſi vt dicunt Alchimiſtæ anima à corpore ſeparabitur, ſubtilior nimirum ſubſtantia à craſſiori quæ ſubtilior pars cum anima vocetur ob id nobilior altera & vſui præſtantior erit, talique medicamento in ſimili caſu, & præſcripto tempore vtendum venit. Hæcque pauca circa curandas fracturas cum vlcere ſufficiant, ad alia enim conuertenda eſt oratio mea.

DE SANGVINIS PROFLVVIO. Cap. XIX.

SANGVINEM à talibus vulneribus emanare posse, contra à nobis supposita, omnibus vtique mirum esse debet verum si modus pateat quo sanguis in tali casu fluit, cessabit admiratio. suppofuimus nanque igneam vim atque contusionem simul mixtas illas esse quæ sanguinem compescere possint. at si modus, quo tali casu sanguis fluit, perpendatur, videbitur non absque summa ratione factum esse, vt ordine fere præpostero de hoc agamus. sanguis nanque à vulnere à bombardico telo inflicto fluit quamuis ignea vis contusioni commixta sit attamen à vasis, à frustulis ossium disruptis, ac laceratis, vel à corpore aliquo præter pilam in vulnus immissis, profluit. quod certe non à principio morbi oritur, sed temporis progressu & quando eschara decidit, caroque regeneranda venit. Animaduertendum tamen est circa hoc quod non omnibus vulneratis id accidit, sed ijs tantum quibus vulnera admodum profunda sunt, & ijs qui vulnera magna prope magna vasa inflicta habent. Medicamenta ijs vulneribus apta sũt vulneri apponenda: vt primo spongia frigida aqua madefacta, & supra vulnus apposita, vel vice aquæ posca imbuta modo supradicto adhibita, vel vlceri petia lata posca madefacta applicatur per quattuor digitorum spatium à vulnere longinqua. Medicamenta quoque adstringentia, & refrigerantia omni sanguinis fluori conferunt. Sed antequam omnia, vel quæ magis in vsu sunt medicamenta proponam signa quibus cognoscimus sanguinem vel

à vena,uel ab arteria fluere sunt describenda quia diuerso ordine medicamenta expetunt. Signa igitur quæ ostendunt sanguinem ab arteria fluere sunt ab Auicenna relata quarta, iiij. tractatu secundo cap.xvi. primum quorum est quod sanguis exit cum saltu & iaculatione e uena uero sanguis exit non saliendo. Arteriæ item sanguis magis alio purpureus est, & subtilior, uenæ uero crassior atque nigrior est. dignoscitur etiam ex imbecillitate uirium suborta nam qui ab arterijs fluit magis uires prosternit quia spirituosus, à quo uirium prolapsu maior, & minor prædicendi modus desumitur, quia in tali casu, si sanguis ita profluat,ut conuulsio,aut desipientia suboriatur,malum,ex Hippoc.vij. Aphor.aphor.vi. Auicenna uero lib. citato dicit singultum sanguinis profusioni superuenire signum lætbale esse. quemadmodum si syncope superueniat mors ægro propinqua est. Notandum tamen ex Galeno v. methodi cap.viij.quod profluuium sanguinis deliquium animi sedat; quod ab Hippoc.desumpsisse uidetur vij. commento in vi.de morbis uulgaribus tamen si animi deliquium, syncope alio modo uocitatum, breue sit, confert sanguinis fluxui. Si uero perduret læthale signum est. Notandum etiam quod propter duritiem suæ tunicæ arteria difficulter glutinatur, uena autē facilius quia eius tunica mollior est,& minus sicca; & ita dicendum de millioribus corporibus,& de siccioribus,& de partibus quæ internarum temperiem sequuntur. Sistitur itaque sanguis si labia uulnerata in unum coeant, uel ligatura, uel consuitione qui modi cum in casu isto seruari non possint quia uulnus contusum est ob id omittentur, & ad medicamenta alia est descendendum. quæ igitur sua uiscidità te glutinis uicem gerunt tum ad intra tum ad extra apposita conferunt, quemadmodum etiam quæ medicamenta crustam efficiunt laudantur,& ultimo

loco

loco ignis qui aliorum excedit uim atque potentiam ſi, quo modo adminiſtrandus eſt, adminiſtretur. cibaria refrigerantia & ſanguinem incraſſantia commendantur, demum omnes reuulſiones, & auerſiones vt ſunt ligaturæ & frictiones ex vſu & ratione optimæ ſunt. Modo ne quid in hoc tractatu deſideretur, & vt tanto ſymptomati, ſi fieri poſſit, occurratur, medicamenta quæ in duplici sũt differentia deſcribam: alia nanque ſimplicia ſunt, alia cõpoſita. Inter ſimplicia album oui parum concuſſum ab Auicenna ſummis extollitur laudibus, & alijs præfertur. gypſum ablutum, viſcus, commune glutinum, volatilis farina, amillum, thus pingue. dragacantum, maſtix, bolus orientalis, ſanguis draconis, terra ſigillata, ſarcocolla, & vltimo loco aloes, hæc omnia ſimplicia ſunt per ſe optima, vt ſanguinem ſiſtant, atque compeſcant. Verum quia alijs, vt puta ſtercore aſinino, mumia, ſucco centinodiæ, atque plantaginis, vna cum oui candido concuſſo, commiſceri poſſunt, & ita compoſitum medicamentum formabunt, hoc eſt quod medicamentum compoſitum nobis placet appellare; quod affectæ particulæ adhærere permittitur quouſque pus, vel ſordes, vel ſimilis aliqua materia per vlcus excerni videantur; quod carnem nouam regenerari in vlcere oſtendet, a qua oſculum vaſis grummi etiam faciunt occludetur, & ſanguinis fluor, hoc pacto, frenatus erit. Hæcque de ſanguine per talia vulnera fluẽte curando ſint ſatis cum raro ab eiuſmodi vulneribus ſanguis emanare videatur.

DE INFLAMMATIONE. Cap. XX.

QVONIAM vt plurimum fracturis cum vlcere inflammatio suboritur, & etiam vulneribus quibus immodicum sanguinis profluuium adest non obstante quod dicat Hippoc. sanguinem à vulneribus emanare bonum, quia inflammationem tollit non videtur tamen quod loquatur de immoderato sanguinis fluxu à quo cum fiat suppressio irruentis sanguinis per vulnus remanet in uia is, qui inflammationem in tali affectu procreat. De qua inflammatione cum mihi sit dicendum vt illius curationem tradam causam perquiram, cum itaque inflammatio phlogosis dicta à sanguinis fluxione pendeat, quæ vel a sanguinis copia pendet, vel a caliditate insita illi, suppositis cohibenda atque intercipienda est talis fluxio, vel repellenda per eadémet uasa adstringentibus atque refrigerantibus, uel alio sanguinis rursus repellendus; at quia de instrumentis id efficientibus satis iam pertractatum est ad localia deueniendum. Duo itaque erunt tantùm quemadmodum à alia medicamentorum genera, aliud simplex, & aliud compositum; prout magis morbus dolendo instabit. Simplicia erunt succus plantaginis, succus malorum punicorũ acidorum, vinum austernum, succo solatri, oleum rosatũ omphacium, & alia eiusdem generis. Composita vero erunt emplastra ex maluis, violis, rosis, cum oleo rosaceo, vitello oui, & vitellum oui cum oleo rosaceo per se etiam valet panis quoque in uaccino lacte coctus parti inflammationem patienti apponitur sæpe permutando. deniq; unguentum album Pauli cum oui albo, vel alicuius succi

 herbæ

herbæ refrigerantis ſucco ablutum ualere dicitur. & quia paucam hanc medicamentorum ſyluam inflammationi ſatisfacere poſſe credo hoc unum tantum dicam, quod ſuppuratio ſuperueniens vlceribus vbi inflammatio adſit maxime confert. Hocque de inflammatione relicto ſermone ad eryſipelatis curam me transfero.

DE ERYSIPELATE. Cap. XXI.

ERYSIPELAS ubi ulcus ipſum tenet atque circum iacentes partes occupat, primo uidendum eſt an ſimplex, an ſanguini commixtum ſit. Accidit enim aliquando, ut ſimul tales humores commiſceantur. & quamuis ſcopus iſte curandi parum ab altero propoſito ſcopo differat, & præcipue in localium medicamentorum appoſitione, nihilo tamen minus propter ſuborturos alios prauos affectus ob non rectam curationem eryſipellati adhibitam, talis cognitio neceſſaria eſt. Vnum tamen adnotabo, quod Galenus ſecundo ad Glauconem de tumoribus pertractans de eryſipelate ab vlcere excitato, prius illud ſcarificari imperat, ut tenuis humor per ulcus euacuetur, demum cataplaſma adhibet a quo craſſa materia & loco affecto infecta euacuatur. Videtur nanque Galenus uelle & ſupponere humorem tenuem per vlcus euacuari poſſe. craſſum vero minime, ſed per cataplaſma diſſoluendum eſſe. Alterum eſt quoque notandum maxime ad curationem faciens, & hoc eſt quod Galenus medicamenta localia eryſipelas curantia refrigerare, & humectare debere tenet;

in

in cura vero Herpetis eadem medicamenta similia curationi erysipelatis esse tradit, cum vero ad affectæ particulæ ab herpete locum descendit, quasi si permutasset intentionem, refrigerantia vna cum adstringenti qualitate commixta enumerat, cum superius in curando erysipelate refrigerantibus & humectantibus vtatur. Vnde lactucam enumerat, poligonum, lentes palustres, semperuiuum, portulacam & similia quæ refrigerare, & humectare possunt, quod & Paulus voluisse visus est lib.iiij. vbi ait, erysipelata refrigerantibus, & humectantibus indigere. Itidem Rasis dixit lib. diuisionum cap. de apostematibus calidis. Auicenna vero fen.iij. lib.iiij. cap.v. erysipelatis curationem pertractans refrigerandum cum ijs quæ vehementer adstringunt esse ait, quæ sententia e directo Galeno contradicere videtur. Nisi hoc modo tueatur se Auicenna quod Galenus & ipse erysipelata curari vult prout eandemmet naturam sapiunt, & ab eadem materia fere excitata sint ambo. Nihilominus tamen in curando herpete, Galenus vtitur humectantibus & adstringentibus, & vt causæ calidæ nimirum à bile excitatæ occurrat, humectando, exsiccando. autem, vlceri opituletur, atque opem ferat. Auicenna uero in erysipelate curando, refrigerando materiæ calidæ aduersatur, adstringendo autem magis fluxionem coercet, atque impedit. In hoc vero conueniunt omnes quod in erysipelatæ aluus sit purganda, in inflammatione vero potius mittendus sit sanguis. Erysipelas pro sui effugatione frigidis, & humidis medicamentis indigere, pro sui causa vero tollenda, quæ fluxio est, frigida & adstringentia exposcere. Hæc vero circa erysipelatis curationem breuiter, & ex abrupto tradidimus, cum tumores nunc curare non proposuerimus, sed de his tanquam per accidens loquuti simus.

DE HERPETVM CVRA. Cap. XXII.

HErpetem à materia flaua bile dicta, procreari ex Galeno ij ad Glauconem facile constat. cuius differentiæ tres existunt. Prima est quando bilis à sanguine secreta, & crassior reddita partem aliquam vsque ad subiectam carnem exulcerat, atque depascitur. & hoc herpetis genus exedens, atque esthiomenos nuncupatur. Secunda differentia est, quando bilis tenuior cum sit cutis superficiem solam adurit atque depascitur. & herpetis genus istud simplex dicitur. Si vero bilis hæc minus acris sit alijs & calida; quasdam postulas paruulas excitat in summa cute, milio similes, & miliaris herpes nominatur. Nulli itaque mirum videri debet si Galenus loco citato herpeti eandem curationem cõuenire vult, quam erysipelati satisfacere dicebat, bilem nimirum expurgantem atque educentem. Differt tamen illorum curatio per apposita localia, tum ratione causæ, tum ratione exulcerationis, vt iam dictum est. fuit namque Hippoc. sententia, quod herpetes maiorem siccitatem alijs inflammationibus expetant, vnde in initijs folijs rubi, & folijs rubi canini vtendum monet. Capreoli quoque vitium, necnon arnoglossi germina, idest plantaginis, quibus lens cocta quandoque cum melle admiscetur, aliquando mel & farina hordeacea necnon etiam suprascripta emplastra valent detracto ab eis semper vino, quia multum humectat. Exulcerata vero partes medicamentis in libro de compositione medicamentorum per genera enumeratis inungendæ sunt,

quæ dum vſus efflagitat ſunt diluendæ,aut tenui uino albo modice adſtringenti. Notandum tamen eſt quod euacuatio in tali caſu eſt neceſſaria, vt nihil magis. quemadmodum Galenus refert in xiiij. methodi cap. x. quo in loco cuiuſdam Matronæ Romanæ hiſtoriam narrat, quæ cum purgari nollet herpete in talo laborans,medicamento quod algam recipit vſa dum vlcus ſanatum eſſet, proxima tamen illi vlceri cutis vlcerabatur,quæ & ab appoſito medicamento ſanabatur,& ſupra iterum vlcere excitato reuertebatur, & ita aſſidue perexit donec exulceratio ad genu peruenit. quæ mulier poſtmodum purgata medicamento bilem educente conualuit. Nos vero ſeri vaccini lactis vſum laudamus cui diagridium commiſceatur vtputa ſi aſſumatur infraſcripta potio.

Rec. Aquæ caſei, ſeri dictæ, clarificatæ onc.v.
Diagridij pul. gra. viij.
Miſce pro potu.

Hoc nanque medicamento vtimur ſemper uos,permittendo medico ægrum curanti, vt medicamentum immutet illud adaugendo,& diminuendo, prout ipſi videbitur. Supra partem vero affectam tali vtor medicamento mitiori preſcripto tam ſupra petiam illinito quam ſupra filamenta. eſt autem hoc.

Rec. ol. roſ. omphacij } añ. onc.j.
Amigd. dulce }
Vnguenti roſati drac.j.ſ
Pulu.Præcipitati el. drac. j.
Ceræ nouæ parum.

Miſce omnia ad ignem, baculo ſemper agitando,quouſque tepeſcant, deinde cum aqua ſolatri diligenter lauentur ter, aut quater omnia hæc. & de herpete curando dicta ſufficiant.

DE CVRANDIS OSSIBVS VITIATIS. Cap. XXIII.

SIGNA, & notæ, quibus ossa corrupta esse cognoscuntur, ex Celso præsertim lib. v. cap. ij. desumuntur, qui artem medicam exacte admodum, & diligenter tradidit. Et primo os quod vitiatum est antequam ex toto vitiatum sit, fit, pingue, secundo nigrum, tertio cariosum euadit, hocque vt plurimum grauibus sponte sua subortis vlceribus, aut fistulis, quæ longa vetustate producta sint accidit, vel etiam cancro, aut gangrenę occupatis partibus euenit. Verum quia in sclopetorum vulneribus, vbi os fractum est, sæpe sæpius contingit, quod fistulæ cum in thoracis partibus, tum in alijs etiam artuum fracturis suboriantur, atque quod ossa supposita illis non solum propter vlcerum diuturnitatem, verum propter talium vulnerum malignitatem, atque totius corporis ægrotantis prauam dispositionem, corrumpantur, propterea illorum curationem breuiter persequemur. Oportet igitur subsecata carne, os ipsum totum, quod laborat, detrudatur, donec sanum pateat, & quod os pingue est ignitis ferramentis aduratur, ita vt satis siccum redditum sit, cum siccum sano ossi propinquius sit, humidum vero nõ sano. Et si pars hoc fieri non patiatur, vel nigrum tantum os appareat, abrasorijs scalpris ad ulceris latitudinem aptis ita illud abradere oportet, ut ex abrasione sanguis, vel cruor aliquis emanare videatur. postea nitro in puluerem redacto pars respergenda est. Et quod de osse dictum est, itidem de cartilagine dicendum. Osse albo

appa-

apparente ex nigritie vitium fieri constat, & ex carie soliditas apparens ossis sanitatem adesse ostendit, quemadmodum cruor. Notandum tamen non inutile esse si vna, & eadem die quo facta vlceris dilatatio fuerit, ambustio quoque, vel abrasio fiat. quam ambustionem Instrumentis potius acutis, quam latis moliendam esse credo; vt scilicet profundam ossis cariem prosequi possint. Hęc pauca sunt, quæ circa horum vulnerum curam volui dixisse.

F J N I S.

INDEX CAPITVM.

F I N I S.